



1. G. Functiⁱ pentas illustrium questionum
 historiæ passionis dominice 1690
 2. Andr. Concⁱ explicatio in circumst. & passione.
 1055
 3. Bernh. v. Sanden, diff. de Sponso sanguinum. 1713
 4. Christ. Sahini, diff. de viro dolorum. 1718.
 5. ejusdem, diff. de agno paschali. 1712.
 6. Jac. Roesers, diff. III de morte iudee 1668.
 7. Mich. Schreiber, diff. de verbis HAI, HAI, NAMA zabaxea.
 1716.
 8. Mich. Sandri orationes duas de iudicio pilati.
 1679.
 9. Balth. Rhaeu, meditatio sacra vulnerum. Chr. 1
 10. Jac. Bürger, diff. de veteri Roman: crucifixione modu.
 1670.
 11. Barth. Goldbach, diff. de materia et forma crucis.
 1687.
 12. Mich. Hoynovij programma. 1698.
 13. Christoph. Schulte, de iudeo non mortali 1689.
 14. Joh. Affelmanni, diff. de Desecrati Chr: ad inferos.
 1616

30

S. H.

GESTA CHRISTI QUADRAGESIMALIA

RESURRECTIONEM INTER ET ASCENSIONEM

A

WHISTONI, FLAMINII, DODWELLI, HARDUINI,
ALIORUMQUE PARADOXIS
LIBERATA,

SENATUS AMPLISSIMI DECRETO

PRO LOCO

PROFESSIONIS IN THEOLOGIA EXTRA-
ORDINARIE
SOLENNI VENTILATIONI EXPOSIT

PRÆSES

IOHANNES IACOBUS QVANDT

S. THEOL. D. ET P. P.

RESPONDENTE

M. GODOFREDO HENRICO GOLTZ

IN AUDITORIO MAXIMO

A. O. R. MDCCXVI. DIE IX. IUNII
HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS.

REGIOMONTI
LITERIS REUSNERIANIS.

PATRI PATRIÆ
AUGUSTISSIMO, SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DN. FRIDERICO
WILHELMO
REGI BORUSSIÆ

MARCHIONI BRANDENBURGICO, S.R.I. ARCHI-
CAMERARIO ET ELECTORI, SUPREMO ARAU-
SIONensi, VALLANGINensi ET NEOCOMensi
PRINCIPI,

MAGDEBURGI, CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIUM, STETINI,
POMERANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM ET
MEGAPOLIS, ITEM IN SILESIA, CROSNÆ
DUCI,

BURGGRAFIO NORIMBERGENSI,
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI, VAN-
DALLÆ, SVERINI, RACEBURGI ET MEURSÆ,
COMITI HOHENZOLLERIÆ, RUPINI, MARCÆ, RA-
VENSBERGÆ, HOHENSTEINII, TECKLENBURGI,
LINGÆ, SVERINI, BURÆ ET LEERDAMI,
MARCHIONI VEHRÆ ET VLissingæ,
DYNASTÆ RAVENSTEINII, ROSTOCHII, STARGAR-
DIÆ, LAUENBURGI, BUTOVIÆ, ARLAIÆ AC BREDAE,
&c. &c. &c.

REGI AC DOMINO SUO LONGE CLEMENTISSIMO

CUM DISSERTATIONEM HANC
VOTO FELICITATIS PERPETUÆ
GRATA MENTE SACRAT

SERVUS HUMILLIMUS
JOHANNES IACOBUS OVANDT

GESTA CHRISTI QUADRAGESIMALIA RESURRECTIONEM INTER ET ASCEN- SIONEM.



Loriam resuscitati Servatoris Præco-
nes Christi omnesque Resurrectionis Do-
minicae testes eloqui, nemo mirabitur, qui
secum cogitaverit, sermonum Propheticorum
Summam, doctrinæque Apostolicae
centrum IESUM esse, eumque e mortuis
excitatum. Crucifixum Servatorem vidit
Hierosolyma, vidit Senatus, vidit cohors
Romana, & collecta ex omni terrarum an-
gulo multitudo; Sepultum, sigilli fides &
prætoria militum caterva demonstrat. In his, fidelibus cum ho-
stibus Christianæ fidei convenit. Gloriam vero suscitati mirari,
Christianorum gloria est, quam e cœlo Angeli glorioſo nimbo illu-
ſtres, in Orbe universo Apostoli glorioſis apparitionibus convicti,
in sepulcro linteamina & sudarium feciſim convolutum Ioh. XX. 7.
exponunt, ne splendor gloria divina inglorius cerneretur, aut præ-
ceps e tumulo prorupiſe, sed pacate ac tranquille funebri habitu de-
posito extiſſe, crederetur. Verum ut Solis splendor, ita & gloria Ser-
vatoris solis instar e sepulcro prorumpens, incrementa capit. Per
gradus enim in gloriam ducendus erat, qui superatis variis passionum
gradibus ad gloriam enitebatur. Quamobrem, qui Passionis suæ
præludia medios inter gloriae nimbos in Transfiguratione exposuerat,
glorioſa Resurrectionis suæ veritatem in celebri *τεσσαρωνταρχίᾳ*
integris Quadraginta diebus adeo fecit indubiam, ut non nisi exce-
cati ad hoc Solis iubar cœcūtiant. Eam Christi explicaturo Glo-
riam, id evenit, quod Oratoribus, qui gesta illustrium Virorum glo-
riosa non tam narrant quam numerant. Unde præsens Vita Servato-
ris segmentum a plerisque Vite Christi Scriptoribus levi brachio ta-
ctum, cumulate exposui. Rerum tamen copia ad compendium
laboris suscepit me vel invitum adegit, quo partim suspicio ni de argu-

A

men-

mento nimis curioso occurrerem, partim anfam cavillandi nimiam scripti molem, rescinderem. Fato accidit, eodem hoc anno, quem a C. N. numeramus MDCCXVI cum GUILH. WHISTONO, Viro nec incelebri, nec indocto, novam congrediendi mihidari occasionem, cui annus hic summa admiratione ob hanc causam dignus est, quod solennem Anti-Christi ruinam ac gloriosi Regni Christi restitutionem orbi polliceatur. Calculos, quos e computo Septimanarum Danielis plurimisque visionibus Apocalypticis subduxit (†), Mathematico non invidet; miror magis, Neo-Prophetas Cememos (quibus Inspirati Berolinenses suam debent originem) WHISTONI vaticiniis mirum in modum delectari. Promachus enim Neo-Prophetarum haud incelebris IOHN LACY (††) Eques Anglicanus calculum WHISTONI de Iubilao Ecclesiae instante, non approbat solum, sed & annum DEI acceptum, complementum Scripturæ de celo novo novaque terra, Regnum Messia, nuptias Agni, primam Resurrectionem, & novæ Hierosolymæ de celo defensum instare, mundoque intra triennium manifestanda prædicta, idque visionibus ecstatis plus quingentis, Londini Spiritu Prophetico confirmatis, invicte per vadere annis est. LACYUM spes raro delusit inanis, maxime vero, cum annum MDCCX. ruinae Babelis præfigeret, totusq; in spem venio, fore, ut spes ruinae Anti-Christi a WHISTONO A. MDCCXVI. prædictæ, autorem suum & fallacis augurii, & computi parum felicis arguat. Numquid enim eam Anti-Christi ruinam, numquid illam Regni Christi gloriam dixeris, in quo Arianismus a WHISTONO assertus triumphos agit, & gloria Christi funditus evertitur? Whistono nuperos in Anglia Scriptores FLAMINIUM & DODWELLUM e Gallis HARDUINUM e Batavis SPINOSAM aliasque iungo, novas eorum conjecturas sine acerbitate argumentum mei sisto examinis, fucosque quos faciunt, veritatis colore luffundere conor. Suo enim quemvis abundare facile patior ingenio, modo ne veritati quicquam innovatis decedat opinionibus. Id dum exequor, DEum indefessa prece veneror, ut gressus meos per semitam veritatis ducat in Gloriam IESU Christi.

(†) in *Essay on the Revelation*, Conf. ROB. FLAMINIUM diff. the First Resurrection of Christians five de Prima Christianorum Resurrectione p. 153. seqq. (††) in *Præfatione Tract. Gry from she desart seu Glamor e Deserto* p. 4. & 21.

§. I.

Revocatum in vitam IESUM, salutis nostræ auctorem gravissimo consilio DEus conspicuum voluit Act. X.
 40. Quare eundem primo Resurrectionis momento oculis
 fuorum nequaquam subduxit, sed ΔΙ ΗΜΕΡΩΝ ΤΕΣΣΑΡΑ-
 KONTA PER QUADRAGINTA DIES variis apparitioni-
 bus illustrem, manifestavit Act. I. 3. donec, vita exæcta,
 cœlo donatus, terris eriperetur; ut & Gentes sapientiam
 DEI in mysteriis absconditam venerari discerent, & Iudæi
 innocentiae Christi, suæque rebellionis ut & feralis Urbis
 excidii convincerentur. (*)

(*) Quanquam numerorum mysteria sapienti consilio a DEO rebus
 sacris aptata accendendis piis meditationibus inserviant, ad apodi-
 xin tamen perficiendam, non nisi langvide faciunt; nimiumque
 curiosi videntur, qui cum PETRO BUNGO in Mysteriis nume-
 rorum p. 501. & ATHAN. KIRCHERO de abditis numero-
 rum mysteriis P. VI. c. VI. p. 299. in mystagogia numerorum enucle-
 anda desudant. Patribus tamen Veteris Ecclesæ virtus verti-
 nolim, quod in expendendo XL dierum numero a DEO sapien-
 ter electo occupentur. Neque enim hic dierum numerus, singu-
 laribus plane gestis sacer, sine singulari Numinis providentia com-
 memorationi Christi resuscitati præfinitus videtur. Iudæi ut solent
 mysteriorum esse tenacissimi, mysteriis quadragenarii numeri in-
 dagandis admodum delectantur. Ex antiquis enim ELIESER in
 Sanhedrin f XCIX. col. 1. Dies Messiae XL annorum spatio in-
 cludit, huncq; numerum e Deut. VIII. 3. & Ps. XC. 16. excerpit;
 Alii e lumine vespertino XL ante excidium annis extincto,
 portisque templi apertis tristitia infelicitis excidii repetunt præfigia.
 E recentioribus vero R. IS. ABARBANEL Comm. in Exod.
 XXIV. 18. f. CLXXXIX. Iudæos per orbem dispersos quotannis
 Quadragesimali Ieiunio obligari e Quadragesimali Mosis in
 monte Ieiunio concludit. Non omnem igitur perdunt operam,
 qui Iudæos, mysticis numerorum expositionibus intentos, e nu-

meris, principio ab ipsis concessso, arguunt. Confitentur Iudei in SANHEDRIN f. XLIII. IEsum morti exponendum XL diebus Praconem nunciasse publicum, qui testes innocentiae ipsius conquisiverit, IEsusque cruci affigendum exclamarit. Quanquam vero præcipitata Christi in crucem actio, traditionem istam fabulosi convincat mendacii, & IO. BRAUNIUS L. III. Select. Sacr. S. XXXII. p. 325. gravibus rationibus fabulam hanc examinaverit; permittimus tamen mendacia loqui contraludæos, ut evidens sit, sapienti consilio Christum resuscitatum XL dies in terris propterea commoratum esse, ut ipse innocentiae sua præco, eandem per XL dies post resurrectionem furibunda Iudaorum caterva indubam redderet. Accedit Iona e ventre piscis eius& Typus, cui ut in triduana sepultura Matth. XII. 40. ita & in prædictione excidi Urbis non XL diebus, sed (qua infinita DEI patientia est,) XL annis elapsis securti, par fuit. Si quis enim annum Tiberii XVIII cum A. C. XXXIII. & annum II. Vespasiani cum A. C. LXXIII. componat, XL anni inde a Resurrectione Christi ad totalem Urbis deletionem emergunt, quorum computum magis exactum IO. LIGHTFOOTUS Hist. Christ. Jud. & Rom. T. II. Opp. p. 750. curiosus exhibet. Nimirum Quadraginta annis populus refractarius in deserto internecione deletus est, quod Iehovæ ac Spiritui eius resisteret Num. XIV. 34. & post XL perfidia Iudaicæ annos, quibus Lapidem angularem reprobavit Matth. XXI. 42. populus rebellis mœnibus suis pulsus est, & patria in hunc diem mansit extorris. Unde notanter Apostolus de rebellione populi Iudaici verba faciens, populum V. T. rebellem typum Iudaorum suo avo rebellioni sifistit: Ταῦτα δὲ πάντα ΤΥΠΟΙ συνέβαινον ἐπειδός Hæc omnia in Typo iis evenerunt. 1. Cor. X. 11. Quam felices proinde forent Iudei, si vera morti penitentia ex his numerorum mysteriis, ab ipsis met approbatiss, argumentum miseriae suæ ducerent, velum oculis propria pertinacia inductum excuterent, eumq; intuerentur, qui non dies nec annos sed secula concessit penitentia!

§. II.

Et quanquam Gloriam CHRISTI vehementer imminuant Sociniani, dum Mosen sub auspicio munieris

QUADRAGESIMALIA.

7

ris sui in montem evocatum cum Christo, sub auspicio muneris sui in coelum rapto, componunt, raptumque hoc fine factum volunt, ut Christus voluntatem Patris mundo annuciandam plenissime edocet, hominibus publicaret; (*) præludium tamen Quadragesimalis Christi resuscitati commemorationis, repetitam (**) Mosis in monte Sinai commorationem, nolim acerce negare. Imo ne hoc quidem sine figura contigit, quod non nisi quadragesimo die coelum peteret Servator. Qui enim in prima sui in orbem introductione, die a nativitate quadragesimo Patri in Templo exhibitus est Primogenitus Matris Luc. II. 22. is totidem diebus exactis post secundam sui, ceu Primogeniti e mortuis in Orbem introductionem Hebr. I. 6. Patri se presentavit in coelo; Quique sub auspiciis muneris sui XL. dies commoratus est in deserto Matth. IV. 2. totidem dies clausulae muneris sui apposuit.

(*) Non mirabitur facile figuramentum Socinianorum de raptu Christi, qui cogitaverit, similem de Muhamede Fabulam, Muhamedanos excogitasse, cum super iumento Alborach ad Thronum DEI raptum ibiq; mysteria edocet, narrare. Quod nec illis mirum videbitur, qui Harmoniam inter Socinianos & Muhamedanos agnoscent, singulari cura exhibitam ab III. LEIBNIZIO in Epistola ad Autorem des *Reflexions sur l' Origine du Mahometisme* seu Mr. LA CROZE p. 170. ut & celebri Anglo CHARL LESLIE in *The Socinian Controversy discuss'd*. Praef. p. 7. qui quoq; Epistolam Unitariorum in Anglia ad Legatum Maroccanum transmissam, excusset. Mosis tamen in montem evocationem nec raptum dici posse, nec typicum fuisse contra SOCINUM, CATECHESIN RACOV. ENIEDINUM, SCHLICHTINGIUM aliasque Socini assecas data opera arguunt IO. HORNBECK T. II. Socinifini Confutati L. I. c. III. p. 258. NIC. ARNOLD in Refut. Catech. Racov. p. 349. & IO. AD. SCHERZERUS Coll. AntiSoc. Diff. XLIX. p. 403. (**) Novenis vicibus

GESTA CHRISTI

vicibus Mosen montana Sinaitica concendisse, trinaque cum DEO conversatum Quadragesima, Harmonia edisserit. Primus ad montem accessus est Exod. XIX. 3. alter v. 8. tertius in apicem montis Mosen evocavit v. 20. quartus describitur Deut. V. 28. 30. quintus Exod. XX. 21. In sexto primam celebrat Quadragesimam, legem divinam tabulis inscriptam edoctus, quas tamen descendens ad radices montis ira percitus fregit Exod. XXIV. 18. XXXII. 15. Deut. IX. 9. septimus occurrit Exod. XXXII. 30. Octavus secunda Quadragesima Mosaica & visione maiestatis divinae illustris est Deut. IX. 18. 25. X. 10. Exod. XXXIII. 7. 12. nonus tandem dolatas tabulas novas exceptit, unde tertium exacto Ieiunio quadraginta dierum facie splendida redux fit ad populum Exod. XXXIV. 2. 4. 28. nec posthaec montana Sinaitica concendisse memoratur. Libidinem & Pontificiorum Quadragesimam Mosaicam imitandi, & Simeonis Stilitæ XXVIII Quadragesimas columnæ uno pede innixi, exigentis, parum moror. Potior enim gloria Quadragesimis Mosaicis præ his similibusque corporis macerationibus manet, quod & illustrior gestorum pondere & maiori certitudine se commendent. Vid. LEO ALLATIUS de Siemonum scriptis CHRIST. LUPUS in Notis ad Epistolas de Concilio Ephesino c. LII. p. 294. URB. GOD. SIBERUS de Sanctis Columnaribus p. 9. 10. & IO. DALLÆUS de Ieiuniis c. XVII.

§. III.

Gesta Vitæ Christi non omnia ob immensam eorum copiam Ioh. XXI. 25. nec Quadragesimalia a Scriptoribus Sacris scripto excepta ad nos transierunt. Christum enim oculis fidelium depicturi Scriptores divini, Pictores imitantur, qui, quæ penicillo exprimere nequeunt, brevi linea indicant. Id quidem ægre sibi persuadere patiuntur angustæ mortalium quorundam mentes, eamque sapientiæ divinæ amplitudinem nullo modo capientes, suo indulgent ingenuo. Hinc gestis Christi genuinis dubia adspergunt, quorum illa Scriptorum divinorum fide, hæc aut traditionibus (*) aut coniecturis nituntur.

(*) Tra-

(*) Traditionibus Pseudepigrapha an numero, quæ magno quidem numero circumferuntur, Ecclesia vero maxime Orientalis miro consensu minus probata fidei convicta, reiicit, & sub gravissimis pœnis Lectioni corum in Officis divinis interdixit. Unde IO. ZONARAS Canonem Apost. LX. de Pseudepigraphis eruditæ illustrans: Ταῦτα τοῖνον απόβλητα ἔνας κελεύει ὁ Κανὼν, καὶ εἰς αὐτάργων μὴ προτίθεται. εἰ δέ τις δημοσίᾳ ταῦτα προάγει, καὶ ἐπ' ἑκκλησίας αὐτογνώσκειν πεισάται, τὸν ιεζουρένον ὄντα καθαίρεσσες αἴξιον, Canon, ait, censet, hæc esse reiicienda, nec ad Lectionem proponenda, Quod si quis hæc publice profert, inque Ecclesia legere conatur, bunc, si sacrif fuit initatus, dignum depositione iudicat.

§. IV.

Indubiis quidem Christi resuscitatæ gestis annumerantur Apparitiones iteratae, in quibus Servator vivum se exhibuit & τὰ ὡς τῆς Βασιλείας τὸ Θεὸν de vocandis ad Oeconomiam gratiæ Gentibus, sermones instituit Act. I. 3. Sapienti consilio noluit Deus Christum in conspectum totius Iudæorum turbæ Act. X. 41. nedum Pilati aut Herodis prodire, nec publico comitatu stipatum ingredi Synedrium, quod duce CELSO mala mente BENED. SPINOSA (‡) urget. Qui enim Christo credere renuebant tot tantisque miraculis Filium DEI vivum se demonstranti Rom. I. 4. militibusque tumulo Servatoris auctoritate Iudæorum appositis fidem negabant Matth. XXVIII. 11. ii nec credidissent, si a mortuis suscitatus in Synedrio aut Templo prædicans Luc. XVI. 31. exclamasset: Εγεννησαντες καὶ οὐδὲ ζῶειν εἰσιν Apoc. I. 18. Quam facile enim fuisset Iudæis figura opposere veritati, artiumq; diabolicarum miracula arguere, aut mendacissimum phantasma & impostorem in prioris locum subornatum calumniari? Satis habuit Deus, discipulis Christum fieri conspicuum, Resurrectionis Christi testibus oculato testimonio corroboratis, τοῖς προκεχειροτοικημένοις ὑπὸ

B

78

τῷ θεῷ manu DEI extensa ad testimonium de Christo dicendum, electis Act. X. 41. a Christo confirmatis Luc. XXIV. 48. nulla fraude illectis, nullo mentiendi pretio deceptis, nulla honorum spe inescatis, e contra ob testimonium de Christo ad Synedria, iudicia, inquisitiones truculentissimas provocatis, præsentissimoque vitæ periculo ac totius mundi opprobrio expositis, in præconio tamen ac depositione testimonii ad aram constantissimis; Summam tandem in testimonio dicendo medias inter mortes gloriam reputantibus μαρτυρίαν τῆς ἀναστάσεως χριστοῦ profiteri & testes resurrectionis Christi salutari Act. I. 22. III. 15. XXVI. 16.

(†) Impudens perdit Christianorum hostis, CELSI, dicacitas profane persuadere conatur, de Christo nihil dici posse, cuius exempla apud Gentiles non occurrant. Quo sensu Apparitiones Christi suscitati cum specbris Gentilium, umbrarum specie conspectis, componens, divinæ potentie nihil reliquum facit. Inter alia Εξεγένετο εἰπεῖν τὸν Θεόν διναύσυν ἐν Φηνίᾳ οὐδὲν οἶντες, αὐτοῖς τοῖς ἐπινεγένετοι τῷ παταδικοσταύτῳ γέλως πάσιν ὁ φθῆναι. Si, ait, divinam potentiam declarare voluisset IESUS, insultatoribus suis ac Præfidi Synedrii torique Iudeorum turbe cum apparere, aquum fuisset. Multus est in versuiloqui obrectatoris futilitate excutienda ORIGENES L. II. contra Celsum p. 99. causam rei in induratam frontem excecataque Iudeorum mentem devolvens, ob quam Servator Parabolæ quoque promiscuo cœtu sub involucris propositas solis endaverit discipulis, quod hi soli mysteriis Regni sui trutinandis, apti viderentur. CELSO tamen alia fraude succurrendum et redixit, homo ad quidvis credendum, modo ne credere teneatur Dogma Evangelii, paratissimus, BENED. SPINOSA, qui omnem furorem in labefactandam Christi Resurrectionem convertit, eamque in Epist. XXII. & XXIII. hoc præfertim elidere tentat argumento, quod Christus e mortuis suscitatus nec Senatui nec infidelium cuiquam sed solis Sanctis apparuerit, cum tamen vel unica apparitio hostibus facta brevi gratoque compendio Orbem unicorum

QUADRAGESIMALIA.

II

versum ad Christianam perduxisset fidem. Vindicat vero veritatem Resurrectionis Christi sepulcrum nulla fraude ab amicis, nulla vi ab inimicis violatum Matth. XXVIII. 6. Marc. XVI. 6. Luc. XXIV. 3. Ioh. XX. 8. Vindicat Scriptura, secundum quam Servator resurrexit 1. Cor. XV. 3. 4. & umbræ V. T. eam Christi admirant Resurrectionem, quam Apostoli omnibus dubiis superatis, nulla ad imposturam aut lusum ingenii ex cogitandum, arte pellesti, publice confitentur. Conf. ROB. FLEMING L. III. Christologiae c. V. p. 494. seqq. & IEAN CLAUDE Traité de Iesu-Christ L. V. c. XIII. T. III. Ocur. Posth. p. 425. Minus caute vero eruditus Spinoza defensor IO. GEORG. WACHTERUS c. V. Elucid. Cabballistici §. V. p. 78. errorem de Resurrectione carnis Christi Spinoza ceu neo-converso condonandum putat; sufficere enim, SPINOSAM Divinitatem Christi illustri testimonio firmatam Epist. XXI. ad salutem scitu agnoscere necessariam, praesertim cum ne Paulo quidem Christus secundum carnem notus fuerit 2. Cor. V. 16. Est enim Resurrectio Christi ē πρώτοι præcipuum Christianæ fidei caput 1. Cor. XV. 3. cuius impugnatio fidei nexus rumpit, verbum DEI vanitatis arguit, præcones eius φενδομαρτυρίας τὸ Θεός 1. Cor. XV. 14. 15. convincit, salutem nostram labefactat, Rom. X. 9. & Divinitatem Christi everit, quam ex Resurrectione Sponsoris invicto Paulus demonstrat Rom. I. 3. 4. coll. Ebr. IX. 14. Fides enim, quæ Christum & Sponsorem & DEum credit, nunquam tamen vinculis mortis liberatur, ne nomine quidem fidei digna est, quin fidem Christianam evertit, qui Apostolos in capite fidei primario decipi posse, adstruit. Quare cum SPINOSA Paulum perverso consilio sociat WACHTERUS. Paulus enim Christum in carne vidit Act. XXII. 17. 1. Cor. XV. 8. vi sum prædicavit 1. Cor. I. 23. veramque corporum nostrorum restitutio nem veræ Christi Resurrectioni superstruxit 1. Cor. XV. 18. 20. gloriam tamen in cognitione cum Christo ex eadem secum gente κατὰ σάρκα orto, querere, inq; carnalibus gentis sua prærogativis, aut carnis sua delicias aut bonorum præsentis seculi studium amplecti, a puro sinceroque Christi amore alienum pronunciat, Christum sibi ignotum κατὰ σάρκα professus. Haud raro enim carnales gentis Iudaicæ prærogative, quin & Oeconomia V. T. sub

B 2

sacri-

sacrificiis ac iustificationibus carnalibus adumbrata, *σακρὸς* nomine in scriptis Paulinis venire solet Ebr. IX 10. Cæteras Spinozæ fraudes detegunt ! O. COLERUS in la Verité de la Résurrection de I. C. defendu contre B. de Spinoza & ses sectateurs subiuncta Tract. la Vie de Spinoza p. 33--47. BERNH. LAMY L. V. Harm. Evang. c. XLII. p. 616. & IO. FRANC. BUDDEUS in Medit. Pasch. A. MDCCIX.

§. V.

Quo sensim discipulos a corporis sui conspectu defefaceret, perpetuo visus non est Servator, sed apparitionibus finitis subinde oculis suorum se subduxit, & ut fraudis illusionisque suspicionem amoliretur, repetitis vicibus vivum se exhibuit. Mox uni, mox alteri, mox pluribus (#) apparer, non maribus solum sed & foeminiis, ut sexus evanescerent discrimina Gal. III. 28. copioso tandem coetui, ut omnium animi dubiis liberarentur. Non noctu ianuisque clausis aut in ædibus solum cernitur, (##) auditur, palpatur, sed & plena die conspicitur, in Urbe & extra eam, in monte, ad littora, in via, in diversorio, ne res universo mundo annuncienda in angulo gesta crederetur Act. XXVI. 26. nec vel umbra suspicionis aut incredulitatis mentes Testium Resurrectionis Christi deciperet.

(†) Et hunc quidem apparitionum Christi resuscitati ordinem præivit Paulus I. Cor. XV. 5. 6. 7 in solis apparitionibus maribus factis, ordinandis, occupatus (forte quod in Imperio Romano, foeminarum testimonium aut nullius aut levis esset valoris) visum Servatorem memorans Cephæ, éta duodecim, ἔπειτα quingentis fratribus; Et Marcus c. XVI. 9. περὶ την Σαβάτων περί τον Μαρία μετά ταῦτα discipulis duobus v. 11. ὅπερι ον Apostolis accubantibus v. 14. (##) Quo ipso dissentio a NIC. GURTLEERO Theologo Batio, qui Diff. I. de I. C. in Gloriam evecto §. XV. Christum non diurna luce sed sub vesperam Hierolymis hac de causa apparuisse, op-

opinatur, quod populosam urbem plena die ingressus facile oculis ludibriisque Iudaorum fuisse expositus. Quam facile enim fuisset Christo suscitato, ne a Iudeis agnosceretur, ἐτέρα μορφὴ alia forma indui, sub qua ne ab amicis quidem agnitus est Marc. XVI. 12, Ioh. XX. 14?

§. VI.

Ordinem ac Harmoniam Apparitionum Christi Quadragesimalium adornare, res periculi plenissima divinarum literarum explanatoribus visa est, quod dubia huic vitæ Christi segmento implexa, difficulter enodentur; (*) Plurimis tamen operosa diligentia LAMII, (†) TILLEMONTII, (††) LIGHTFOOTI, (*) GRAVESONII, (‡) GERHARDI, USSERII, VOSSII ac CLERICI opem tulit. Et quanquam ne hi quidem Harmonia Sacrae Scriptores una consentiant, Apparitiones tamen Christi merito in eas partiuntur, quæ personis singulis, & eas, quæ una pluribus, contigerunt.

(**) Si bene conicio, ista Apparitionum Christi suscitati series præ reliquis, due Scriptura, videtur potior. Mulieres aptato unguento tumbam Christi περὶ illucescente aurora domo exeuntes, Sole exorto accedunt Marc. XVI. 2. 4. Luc. XXIV. 1. 2. Ioh. XX. 1. Maria vero lapideum devolutum eminus intuita, fore & terra motu territa, pertinaci quadam perculta impatientia Hierosolymam se recipit, quæstum discipulos Ioh. XX. 2. Reliquæ, gesta exactius exploratura, & Angelii lapidi sepulcrali insidentis præconio, Resurrectionis Christi convincuntur Matth. XXVIII. 5. Marc. XVI. 5. & cavernam tumuli ingressæ ab Angelis duobus de veritate Praconii Angelici confirmantur Luc. XXIV. 3. 4. 8. Petrus interea Iohannes ac Maria concitato cursu tumbam adeunt Ioh. XX. 3---9. qui, dum in eo sunt, ut domum properent v. 10. Mariæ, amaras exprimenti lacrymas, Angeli apparent v. 12. 13. imo Dominus ipse conspicitur v. 14. 17. Marc. XVI. 9. Maria voti compos, gaudioq; delibata gesta nunciat Marc. XVI. 10. 11. Ioh. XX. 18.

2. dam interea reliquis mulieribus in via occupatis Christus occurrit
 Matth. XXVIII. 8. 9. 10. Luc. XXIV. 10. qua^x, itinere confecto,
 3. discipulis gesta narrant. Petrus tamen denuo tumbæ occurrit,
 eique reduci Dominus apparet. Luc. XXIV. 12. 34. 1. Cor.
 XV. 4. 5. Flexo in vesperam die ev. aut^y tñ ήμέρα cum disci-
 4. pulis Emaunticis ob sponsum ablatum mœstissimis in via diffe-
 rit, qui viso Domino in sinu gaudent Marc. XVI. 12.
 Luc. XXIV. 13. 17. & dum eadem die redeunt, reliqui Domini-
 num Petro apparuisse, nunciant Marc. XVI. 13. Luc. XXIV. 33.
 35. Porro ὥστης ὀψίας τῇ ήμέρᾳ ἐνεύρη μιᾶ τῶν Σαθαρίων Ioh.
 5. XX. 19. ab Apostolis accumbentibus Marc. XVI. 14. Luc. XXIV.
 36. 40. cibo in confirmationem Resurrectionis sumto, conspicitur
 1. Cor. XV. 5. Octiduoque elapo^z, in pleno Apostolorum
 6. conventu Thomas Resurrectionis Christi convictus, fidem suam so-
 lenni confessione exponit Ioh. XX. 26. 29. Post Pascha redeun-
 7. bus in Galileam discipulis Petro, Thomæ, Nathanaeli, Iacobo ac
 Iohanni aliisque, e cibo denuo sumto agnitus conspicitur,
 8. Ioh. XXI. 1. 14. Ethanc solennis excipit apparitio, qua 500. fratri-
 bus in Galileam evocatis, vivus demonstratur Matth. XXVIII. 16.
 1. Cor. XV. 6. addito mandato, de Evangelii post visibilem Sp. S. effu-
 sionem, inter Gentes præconio Luc. XXIV. 49. A&C. I. 4. ἐπειτα
 9. dehinc Iacobo apparuit 1. Cor. XV. 7. Tandem vero collectis in
 10. Bethaniam discipulis, elapo^z, quod post Resurrectionem in terris
 transfigere divino consilio decretum erat, tempore, omnibus intu-
 entibus in eccl^um evectus, cœlis omnibus evasit sublimior Luc.
 XXIV. 51. Marc. XVI. 19. 1. Cor. XV. 7. (†) L. V. Harm.
 Evang. c. XL. p. 612. (††) in Memoires al H. E. T. I. p. 85. seqq.
 (*) in Chronico Temp. Sect. LXXXVII. T. II. Opp. p. 58. (†) in
 Chronologia Hist. S. p. 604. Tract. de Mysteriis & annis Christi
 subiecta. Reliqui in Harmoniis suis videri poterunt.

§. VII.

E singulis prima est MARIA, cui Servator susci-
 tus primo mane prima Sabbathi PRIMUM visus est.
 Marc. XVI. 9. Prima enim inter foeminas miraculorum
 Christi

QUADRAGESIMALIA.

15

Christi testes Luc. VIII. 2. prima inter crucifixionis Christi spectatrices Matth. XXVII. 55. 56. Marc. XV. 40. 41. primas, inter sceminas Resurrectionis Dominicæ testes, occupat. Breviariis vero Pontificiorum manifesto contraria deprehenditur Harmonia Evangelica, quæ Mariam hanc vel cum Maria peccatrice vel cum Lazari Marthæque sorore confundunt. (‡) Marcus neutrām innuit, eam indice quasi digito monstrans, e qua Christus VII. expulerat dæmonia Marc. XVI. 9.

(‡) Lis & gravis & ambigua Romanæ Ecclesiæ exercuit Antistites: An mulier peccatrix Luc. VII. 37. Maria Magdalena Luc. VIII. 2. & Maria Lazarī sutor Ioh. XI. 2. una sint, an tres Mariæ persona nomineque diversæ? quam nuper magna contentione Theologi in Gallia revocarunt. Et unam quidem adstruunt BERN. LAMY diff. de Unica Magdalena p. 636. P. DAN. HUETIUS in Origen. p. 44. P. PEZRON T. II. Hist. Evang. p. 337. NAT. ALEXANDER T. III. H.E. diff. XVII. p. 188. & PETRUS MAUDUIT Presbyter Oratorii in Analyſi Evangg. de quo vid. LOU. ELLIES DU PIN T. XIX. Nouv. Bibl. des Aut. Ecclef. p. 122. & 318. Diversas NANUS TILLEMONT T. II. Hist. Eccel. P. I. p. 49. MAUCONDUIT & ANQUETINUS singularibus de Maria Magdalena disquisitionibus. Sorbonæ Veteris Decretum A. MDXXI. pro unica pronunciavit Maria, cum IAC. FABER Dissertationem Franciso Molinæ inscriptam, Parisiis vulgaret, cuise Marcus de Grandivall & Io. Fischerus Episcopus Roffensis in Libb. de unica Magdalena, opposuerunt, fidem faciente IO. LAUNOIO in Acad. Parif. Illust. p. 674. & qui Decretum Sorbonæ exhibet MR. SAINIORE (seu SIMONIO) T. III. Bibliotheq. Critiq. c. XIX. p. 286. Saniorēm tamen esse Sorbonæ recentiori mentem non diffitetur DU PIN T. XIII. Bibl. p. 212. ANQUETINUS vero Diff. p. 342. ut decretum veteris Sorbonæ eludat, ab iis illud non violari ostendit, qui tres statuunt Marias, modo non dicantur tres Mariæ Magdalena. Tam manifestus hic error est, ut iisdem licet sacris additi in varias rapiantur senten-

tias

tias, habentq; Pontificii in quo Breviaria, Missalia ac Liturgias suas cum Doctorum suorum componant decretis , cuius specimina in Breviario Aurelianensi, Arelatensi, Catalaunensi ac Vienensis ex Sanctis fictitiis Liturgiis Ecclesiae Papae haud raro inspersis, cum RICH. SIMONIO T. III. Bibl. Crit. c.XIX. p.295. obtruderelicit.

§. VIII.

Eadem die , qua suscitatus Mariæ apparuit , CEPHÆ seu PETRO visum Servatorem & Harmonia Evangelica Luc. XXIV. 33.34. & Paulus haud obscure innuit 1. Cor. XV. 5. Quod vero Petro prius quam reliquis visus sit Apostolis, nequaquam Primatum Petri confirmat, ut BARONIO strenuo Primatus Papalis vindici , visum est, sed Discipulum præ cæteris afflictum erexit , in eo primo omnem declaraturus patientiam in exemplum fidelium 1. Tim. I. 16. Intolerabilis ergo IO. HARDUINI (*) error est , dum Cepham non Petrum Apostolum, sed alium quendam Virum Apostolicum credit , cumulatis rationibus , causæ in ruinam pronæ succurrens.

(*) In id omnes ingenii nervos intendit IO. HARDUINUS , ut obiectum à nostris contra Primatum Papæ, Pauli Petriq; dissidium Gal. II. 11. a Petro devolvat. Unde Cepham a Paulo reprehensum non Petrum, sed Virum Apostolicum a Petro plane diverfum fingit Disl. de Cephaa Paulo reprehensio, quam novissimi Operum Harduini Editores e MSo a Mr. DROUYN Doctore Sorbonico communicatam, Selectis Harduini Operibus inseruere. Quacunque vero specie huius farinæ se commendent coniecturæ, a vero tamen, ut pleræque HARDUINI à BASNAGIO, UINGNOLIO, DE LA CROZE aliisque examinatæ, longe sunt alienæ. Gemini mihi in præsenti HARDUINUS postulandus est Paradoxi. Primum est, quod Cepham Gal. II. 11. Cleophae in itinere Emauntico comitem fingat Luc. XXIV. 13. Quo ipso quidem præ Luca ac Martyrologio sapit HARDUINUS, dum comitis Cleophae nomen, ab utroque occultatum, exprimit, eos tam
men

QUADRAGESIMALIA.

17

men , qui Petrum Cleophae socium credunt , infirmo aggreditur praetudicio. Quo enim teste , quibusve tabulis id persuaserit HARDUINUS ? An , quod Cephas Iudeus Gal. II. 14. Petrus vero nominetur Galilaeus Marc. XIV. 70 ? Quidni enim & Petrus Galilaeus licet , Iudeus nominari posset , si non gente , religione tamen , ad quam Gentes cogebat. An , quod Cleophae solum Iudeum arguat situs civitatis , in quam tendebant ambo ? Quo teste enim planum facit HARDUINUS , an dominum suam , & si suam , an patriam , ingressi sint ? nec levius certe suspicio est , discipulos viam per Emaunta in Galilaeam meditatos , sed vespera ingruente a proposito impeditos , Hierosolymam rediisse. An , quod & Cleophas & Cleophae Socius Principes Populi Hierosolymitani SUOS appellant Luc. XXIV. 20 ? Numquid enim alii Synedrio aliis Praefidibus subiecta fuit Galilaea , aliis vero Iudea , ut in Galilaea nati Principes Iudea SUOS , vocare non potuissent ? Sed multo illustrius est alterum , quod §. XIII. Opp. Sel. p. 928 firmare conatur Paradoxon , dum apparitionem Cephae 1. Cor. XV. 5. eandem cum apparitione Simonis Luc. XXIV. 34. inficiatur. Christus , inquit , resurgens visus est Cephae , priusquam discipulis XI. Simoni visus non est priusquam discipulis XI. E. Cephas non est Simon. Verum Petro Christum prius visum quam discipulis , Lucæ fides comprobat c. XXIV. 34 Reducibus quippe Emaunte discipulis narrant reliqui : ὅτι ἡγέρθη ὁ Κύρος ὑπὸ ΣΙΜΩΝΙ Vere Christum resuscitatum Simoni apparuisse , illo , fine dubio , tempore , quo Emauntici iter suum dimetiebantur. Tempus apparitionis assignari ne verisimiliter quidem posse , non est ut miretur HARDUINUS. Ostendat enim momentum temporis , quo Iacobo visus est , postquam 500. fratribus videndum se præbuerat , aut Christum Iacobo visum neget , aut a silentio Historicorum petitam collectionem debilem esse , profiteatur. Et si hæc quidem aliquam veri mentiantur speciem , in eo tamen omnem decoquit fidem HARDUINUS , dum manifesta detorsione verba Lucæ ὥφθη Σμωνι non hoc sibi velle autumat , quod Christus Simoni apparuerit , sed quod Resurrectio Christi persuassima fuerit Petru , ex quo corpus Servatoris in monumento positum non reperisest , sed sudarium tantum ac linteamina. Eo quippe sensu verbum

C

ωδη

ὥΦθη occurtere Gen. XXXVII. 19. Καὶ ὅψεσθαι τὸ ἔτος τὰ εὐ-
 πνεῖαντα Tunc apparebit, quid illi profint somnia eius! Quæ, si
 certa sunt, Christus nec Discipulis nec 500 Fratribus, nec Iaco-
 bo, nec Paulo viſus est, cum una eademque voce apparitiones om-
 nes 1. Cor. XV. exprimantur: ΩΦΘΗ ΚηΦᾶ, ἐτὰ τοῖς δάδενα ψ. 5.
 ΩΦΘΗ πεντακοσίοις ψ. 6. ΩΦΘΗ Ιακώβῳ ψ. 7. ΩΦΘΗ ιακώψι ψ. 8.
 nec Elias Apostolis in transfiguratione Christi Marc. IX. 4. nec
 Angelus Mariæ aut Christo Luc. I. 11. XXII. 43. nec DEus sub
 V. T. A&T. VII. 2. 30. 35. apparuit. Unde dissimilis vocum Græcarum
 positus textum Gen. XXXVI. 19. ab HARDUINO productum, pa-
 rallelorum numero excludit. Verum HARDUINUS, causæ suæ dif-
 fissus, probari postulat: Cepham 1. Cor. XV. 5. Simonem Petrum
 esse potius, quam Cleopha filium, itineris Emauntici comitem.
 Quid si vero postularem ab HARDUINO, ut Cleopha filium,
 Cepham dictum evincat, quibus id persuaserit testibus? Mihi Si-
 mon Luc. XXIV. 34. & Cephas 1. Cor. XV. 5. Petrus est, ante
 munus Apostolicum Simon Matth. X. 1. a Christo Petrus Marc.
 III. 16. & Syro idiomate Cephas dictus Ioh. I. 43. Sed in contra-
 riā raptus partem HARDUINUS: Cephas, ait, qui secundo
 loco ponitur, non est Petrus, qui primo loco in facris literis me-
 moratur. Arguo: E. & Cephas, primo loco a Paulo 1. Cor. XV.
 nominatus, non est Cleopha filius, sed Petrus. Quo evicto, aut
 Primatum Papæ et Primatu Petri adstricatum destruat, aut Cepham
 Paulinum Petrum dicat HARDUINUS, necesse est. Neque enim
 verisimile est, (licet mihi cum HARDUINO loqui) Cepham Pa-
 dagogum, vulgaris nota hominem, cumque Schismaticum, Col-
 legio Apostolico anteponi. Quanquam nec ordo nominum Apo-
 stolicorum Primati vel Petri vel Papæ faveat. ESTIUS enim &
 QUESNELLIUS, uterque cœtus Romani Doctores, e situ nomi-
 num immutato ius adstrui volunt, cuiilibet Episcopo in diœcesi sua,
 ipsum etiam sumnum Pontificem præcedendi. Quon nomine & Pe-
 trus Apostolus primus dicitur, non ab imperio in reliquos sed vel
 ab electionis ac vocationis tempore, vel quod Gentes ad Ecclesiam
 N. T. suo præconio primus adduxerit Act. II. 41. X. 2. & primus
 doctrinam de Christo miraculo confirmaverit Act. III. 6. quod ar-
 gumentum præ ceteris CLAUD. SALMASIUS de Primatu Pa-
 pæ c. II. p. 17. seqq. & Appar. ad Libb. de Primatu p. 5. occupavit.
 §. IX.

§. IX.

Tertium locum IACOBUS occupat 1. Cor. XV. 7.
 Quod, quo certius, eo magis incertum est, an cum RICH.
 MONTACUTIO Iacobum Maiorem Zebedæi filium, an
 Minorem, filium Alphæi, an ab utroque diversum isto di-
 gnatus sit honore Servator? Communis veteris Ecclesiæ
 traditio Iacobum Minorem τὸν ἀδελφὸν Ἐκκλησίας Domini a-
 gnatum seu consobrinum credit, quem WHISTONUS qui-
 dem germanum Christi fratrem e Iosepho ac Maria natum.
 (†) HARDUINUS vero ævi Apostolici schismaticum fuisse,
 e neglecto eius a Luca nomine, satis imperite arbitratur.

(†) Nimirum Helvidianos imitatus GUIL. WHISTONUS in
 Schedialmate de Fratribus Sororibusque Christi in Sermons and
 Essays upon several subjects p. 182. fratrum ac sororum e Ma-
 ria ac Iosepho natorum numero, Iacobum adscribit, qui & Fraser
 Domini Matth. XIII. 55. Marc. VI. 3. Gal. I. 19. & in CON-
 STIT. APOST. μάρτυρες τῆς παρεγνωσίας αὐτῆς testis apparitionis
 Dominicæ diserte salutatur L. II. c. LV. L. VI. c. XII. L. VII.
 c. XLVI. L. VIII. c. XXXV. Quam WHISTONI sententiam
 uti non approbo, ita pleniorum lucem negat Pauli reliquorumque
 Scriptorum Sacrorum silentium. Iacobum tamen Minorem
 ex hoc capite coniicit IO. LIGHTFOOTUS in Chron. Temp. &
 Ord. Text. N. T. Sect. XCII. T. II. p. 61. quod Iacobus Minor Pau-
 lo esset eoœvus, cuius scopus sit, Apparitiones Christi ministris
 Circumcisiois Petro ac Iacobo Gal. II. 9. sibi vero Ministro præ-
 putii factas, exponere, quo, ut illi Iudeis, ita hic Gentibus, vi-
 sum nunciare Servatorem. Quæ, si plenaluce gaudent, nullam
 profecto fidem meretur IO. HARDUINI de Cepha §. XV. Opp.
 Select. p. 930. observatio, qua Dominum nec Iacobo Maiori nec
 Minoris viatum existimat, coique insuper procedit audacia, ut Iaco-
 bum Schismaticis ævi Apostolici Gentes ad Iudaismum cogentibus,
 annumeret, solo fere Lucae reliquorumque Scriptorum divinorum
 de Apparitione Iacobi, silentio, in hanc illectus sententiam. Mi-
 gor vero, HARDUINUM 500. fratres Schismaticorum liberasse

numero, cum tamen & eorum nomina Historia Evangelica tacito involvat silentio. Sed Iacobum distinxit Fratrem Domini salutari Gal. I. 19. illumque titulum a Paulo 1. Cor. XV. 7. negligi, argutatur HARDUINUS: Si vero, ait, frater Domini Iacobus ille foret, hoc ille titulo hic aequa designaretur a Paulo atque in Epistola ad Gal. I. 19. Siccine vero dubitat HARDUINUS Iohannem Matth. IX. 14. Marc. I. 6. XI. 30. Act. X. 37. eundem esse cum Iohanne Baptista, quod Baptista titulo non ubivis designetur? Evidet igitur dubitat HARDUINUS, Iacobum 1. Cor. XV. eundem cum Iacobo, Fratre Domini, licet adposito ἀδελφῷ τῷ Κυρίῳ Fratris Domini nomine expresse non compelletur, ut reliqua HARDUINI adducere supersedeam, quod nulla fere opera, vani ingenii eius partus in ventos abeant.

§. X.

Illustris Apparitio PAULO iter Damascum facienti, contigit 1. Cor. XV. 8. (*) qua Gentium Doctor in praecōnem Præputii cooptatus inque testēm Resurrectionis Dominicæ inauguratus est Act. XXVI. 16. A meo saltem aliena scopo est, quod CHRISTUM non in terris commorantem, sed post emensos XL ultimæ in terris commorationis dies Act. IX. 27. XXVI. 16. in cœlos evectum exhibeat; aequa ut visio Stephani, acri sermone, in publico congressu, Iudaorum arguentis pertinaciam, Act. VII. 55. ut & Iohannis Prophetæ Apoc. I. 13. præsenti minus apta est argumento.

(*) Visibili specie Christum a Paulo visum, dubium non est, sive rem geltam Act. IX. 22. 27. sive contentionem Apostolicam cum PseudApostolis respexeris. Paulus enim ex ὀπτασίᾳ Christi invitum Apostolicæ auctoritatis promit argumentum Gal. I. 1. II. 12. 16. Tit. I. 3. Visionem insuper suam Petri, Iacobi, reliquorumque Apostolorum visionibus iungit, ex eadem muneri sui demonstraturus excellentiam. Cætera de Pauli similibusque apparitionibus dubia, data opera excussit Venerandus Senex IO. FECHTIUS Diss. de Apparitionibus Christi post Ascensionem §. IV. & XIII.

§. XI.

§. XI.

Plures sunt & ob spectatorum copiam mage solennes in quibus uno pluribus visus est. Et primum quidem Multieribus Hierosolymam à tumba reducibus Matth. XXVIII. 9. Tum vero forma mutata Discipulis Emaanticis , in fractio- ne panis manifestatus Luc. XXIV. 31. Deinde Collegio Apostolico Marc. XVI. 14. Luc. XXIV. 36. 37. 1. Cor. XV. 7. & post octiduum Thoma connumerato , undenis Ioh. XX. 24. 25. 26. Præterea Discipulis ad littora maris Tiberia- dos congregatis , e miraculo multiplicatorum piscium agni- tus , quam tertiam apparitionem merito nominat Iohannes XXI. 14. five solenniores numerentur , five illæ solum, in quibus cibo usus est cum discipulis. Cunctis tamen potior est illustris Christi apparitio , que ἐπίνεια πεντακοσίοις ἀδελφοῖς Ἐφάραξ in solenni panegyri discipulis plus quingen- tis in monte Christum exhibituit. Rem gestam credimus , tempus ac personas ignoramus , Paulo quidem adeo cogni- tas , ut & mortuos a vivis discernat , & ad superstites ceu diectorum suorum Testes provocet 1. Cor. XV. 6. (*) Procul dubio in Galilæa apparitione hac suos dignatus est Ser- vator ; Solennis enim Christi promissio Matth. XXVI. 32. Marc. XIV. 28. solennis Angeli ad illustrem appariti- onem invitatio Matth. XXVIII. 10. Marc. XVI. 7. & so- lennis Apostolorum in plena Praeconum Resurrectionis Christi panegyri inaugratio , maxime solennem spectato- rum concessionem Apparitioni memoratae deposcunt.

(*) Dubiam reddit Manifestationem Christi suscitati in Galilæa omnium maxime illustrem Confessorum Christi numerus , qui post Ascensionis Dominicæ tempora CXX. non excedit Act. I. 15. Cum autem Lucas non omnium Fratrum seu Christi con- fessorum verum μαθητῶν discipulorum ἡτοί τὸ ἀντὶ in domo una die

Die Pentecostes , Hierosolymis congregatorum , corum præfertim , quorum familiaris conversatione Christus usus est , numerum ineat , mirum non est , numerum Discipulorum Christi numero Fratrum multo esse arctiorem . Christo interim plures confessores in Galilæa , tum et cœtu plebis promiscuo Ioh. II. 23 . IV. 1 . VII. 31 . VIII. 30 . X. 42 . tunc Præmoribus populi Ioh. XII. 42 . velante Ascensionem in cœlum gloriosam , nomen dedisse , nullus dubito , et si confessione publica eos retraheret vesana populi iam Confessores Christi ferocia . Qui vero auctore CHRYSOSTOMO in hac Apparitione Christum sublimem in aëre visum furgunt , quod I. Cor. XV. 6. visus memoretur ΕΙΑΝΩ πεντακοσίους sursum , seu ut illi exponunt , in aëre , ἐπάνω numeris apud Græcos additum , indicium esse numeri indeterminati Marc. XIV. 5. Num. IV. 23. I. Paral. XXIII. 24. ignorant . Ultra tamen , quam par est , conjecturis operam dedit NIC. GURTTLERUS Disl. I. de Iesu in Gloriam evecto §. XI. fингens , Christum primo a vita repetita die , in Galilæam navigio traieciſſe , quod via nimis aquosa , pedestre iter Galilæam petentibus negaret . Iter enim a Christo in Galilæam prima die suscepimus nec Angeli invitatio nec Scriptorum divinorum auctoritas postulat , multo minus iter navale foli excusat humiditas , cum eadem via Emauntici pedites in Galilæam proficiscerentur Luc. XXIV. 17. Et , si eadem via navigio æque ac pedibus contendere datum est Matth. XIV. 13. Marc. VI. 33. quanto minus na vi Christus indiguit in Galilæam traiecturus , qui corpore nondum glorificato super aquis ambulans Matth. XIV. 25. 26. Marc. VI. 48. 49. Petrum idem exequi iussit Matth. XIV. 29.

§. XII.

Vana quorundam curiositas tempus commorationis Christi satis diuturnum cum apparitionum paucitate compонere satagit , quod cum frustra tentet , ad conjecturas confugit , aut ad virorum Apostolicorum Pseudepigrapha temerario plane ausu dilabitur . Evidens est demonstrationem Resurrectionis Christi XL diebus non indiguisse ; Nec instruendis Apostolis totidem opus erat , cum plena eorum in-

institutio ad Spiritus S. adventum post Christum in gloriam evenitum, effundendi, differretur Ioh. XVI. 14. (**)) Dandum igitur & hic voluntati divinae, quam citra revelationem assequi nobis datum non est Rom. XI. 34.

(**) Nervosus de praesenti argomento Discursus est ROB. FLAMINII Lib. III. of the Christology c. V. p. 501.

S. XIII.

Quare, qui nimium sunt curiosi, ac ultra quam viribus humanis datum est, sapiunt, Iudaeis mihi videntur similimi, in gestis Quadragesimalis Ieiunii Mosaici, maiori, quam par erat, occupatis studio. (†) Enimvero, si iustas temeritatis suae poenas dare nolint, Gesta Infantiae Christi velim exponant, (**) quæ Evangelistæ paucis tangunt, & hoc solo nos iubent contentos, quod Christus ab ætatis illius peccatis liber, sub sancta Parentum disciplina occulta in instar arboris creverit, donec fructus suos publico exponeret. Indicent, quid inde a XII ad XXX ætatis annum? quid integris XL diebus actum sit in deserto? Tentatio enim, & confectio Ieiunio, & paucis forte horis absoluta est. Ita vero cum curate exponere nesciant, reliqua velim desinant mirari. Mearum tamea erit partium, coniecturis Virorum eruditorum e Scripturis partim, partim Patribus operosa diligentia congettis occurrere, ne indicta causa damnari videantur.

(†) Iudei, ut miro in fingendis fabulis sunt ingenio, ita Quadragesimalis Mosaicis fabularum phaleris exornandis, operam navant. Nonnulli Mosis in coelum deportati prolixam cum Angelis de Legis excellentia pugnam obtrudunt, alii in SCHEMOS RABBA f. CLIV. col. IV. & TANCHUMA f. LIV. col. 1. indagine Generationum futurarum, fatorumque; Regum Israelis, a DEO Mosi exhibitorum, diuturnam Mosis in monte moram excusant. Plerique sen-

ſenſum Legum Sacrarum , ac profunda Legis oralis myſteria Moſi expoſita , contendunt . ABARBANEL in Peruſch al Hattora f. CLXXXIX. præ reliquis mage curiosus Moſen Embryonem fingit , cui generando XL dies deſtinati ſunt , & nutriendo nec cibo nec po- tu opus eſt ; DEum vero decem primis diebus X. Diſcurſus Phyſicos de Materia & Forma prima , Igne , Aëre , Aqua , Terra , Mineralibus , Plantis , Animalibus & Homine ; altera dierum decade X. diſcurſus Astronomicos de Cœlo , VII Planetis , Stellis fixis ac primo mobili , tertia X diſcurſus Metaphyſicos de Ideis rerum abſtractis , quarta tandem X. diſcurſus Cabballisticos de X. Sephiroth Moſi explicat . Tam ſcīte penſum diſtribuit Iudaus , ne quis Moſen vel per horam otio deditum arguat . Verum tam inconditas nugas plerique Iudæorum Doctores agunt , ut Paulus non vereatur , ſapi- entiſimos ſtūtia convincere 1. Cor. I. 19. (**) Sunt , qui & hic nānias imperitis obrudunt , Libro de Infanti Christi teſte , quem in Bibliotheca Caſarea latere refert PETRUS LAMBE- CIUS Lib. VII. de Biblioth. Vind. p. 270. Eiusdemq; nominis Ev- angelium Bibliotheca Regia Parisiensis , auctore PHIL. LABBEO ſervat & HENR. SICKE e codice Goliano Arabico publici iuris fecit , miraculis Christi infantis refertissimum . Fabulis tamen otio- ſarum mentium & ſpuriis veterum ſcriptis fœtus ſubventaneus ho- minis impuri & ſupra modum in fabulis excogitandis exercitati , ad- ſcriptus eſt a RICH. MONTACUTIO P. II. Orig. Eccles. p. 31. & GVIL. ERN. TENZELIO Colloq. Menſtr. A. MDCCXCVII. p. 537.

S. XIV.

Enimvero GVILIELMUS WHISTONUS & RO- BERTUS FLAMINIUS iteratas Christi in coelum fingunt Ascensiones , (**) Quadragesimali ultimæ Christi in terris commorationi , adſcribendas ; Quarum duæ præ cæteris magis fuerint ſolennes , altera ipſo Resurrectionis die matutinis , altera vespertinis horis , fuſcepta , quas plures ſub- inde excepérint . Nequaquam igitur , quod unanimi con- cordique hactenus creditum conſensu eſt , quadragesimo

a

a Resurrectione Die, cœlum petiisse Servatorem, sed solen-
nem Ascensionem alias minus solennes antecessisse, opinan-
tur. Quam evidenter autem iis hoc perfvaserint Paradoxon,
qui Scripturam seqvuntur, e solutis documentis prae reli-
quis speciem mentientibus, evidens erit.

(**) Prodit WHISTONI Commentatio upon the several Ascen-
sions of Christ, de multipli Christi Ascensione annexa Es-
say on the Apocaypse Commentario in Apocalypsin MDCCVI.
cum augmento tamen recula sextum occupat locum in Whistonii
Sermonibus ac Tentaminibus Miscellaneis Londini MDCCIX.
editis. Verba Paradoxi, cuius defensionem suscepit, ita flidunt: *Our
Blessed Saviour ascended up into Heaven several times after his
Resurrection, particularly twice that very Day on which he rose
from the Dead; once in the Morning, and again in the Evening
of the same Day.* Christus e mortuis suscitatus sæpius Cœlum
petiit, & ea quidem, qua resurrexit, die, duabus præsertim vi-
cibus, altera tempore matutino, altera vespertino. Lecta WHI-
STONI meditatione ROBERTUS FLEMING seu FLAMI-
NIUS Theologus Anglus, Presbyterianorum cœtui adscriptus,
sententiam suam in Christology seu a Discourse concerning Christ
considered in himself, in his Government and in Relation to
his subiects and their Duty to him, nescio quo fato, omissem, e
schedis sparsis recollectam, Christologia T. II. Praef. p. XVII.
inseruit, paradoxo Whistoniano ut *highly probable* summe
probabili, subscribens. Utrique, non tamen nisi dubitanter
præluerat DANIEL WHITBY S. T. P. & Ecclesiæ Sarisburien-
sis Cantor in a Paraphrase and Commentary on the N. T. T. I.
p. 564 qui tamen Historia Evangelica omniumque Scripturæ In-
terpretum & veterum & recentiorum silentio territus, ani-
mum mutavit.

S. XV.

Et repetitam quidem Christi in Cœlum Ascensionem
parum perfvadet repetitus solenni Expiationis die Pontifi-
cis Maximi V. T. Christum Antitypum adumbratis in

D

San-

Sanctum Sanctorum ingressus. Scriptura enim unius solum Ascensionis Christi meminit, quadragesimo a vita repetita die suscepit Act. I. 3. seqq. Reliquas vero seu solennes ac principales seu minus solennes excludit, dum Pontificem N. T. per Pontificem V. T. præfiguratum, eiusque in sancta introitu adumbratum quidem, illo tamen longe excellere docet, quod per proprium sanguinem non sæpius, sed ΕΦΑΝΑΣ SEMEL in Sancta penetraverit. Hebr. IX. 12: (*)

(*) Speciem præ se ferunt WHISTONI Socinianorum castra secuti, dubia. Primum quidem in Typo occupatur, ac Pontificem V. T. semel quidem quovis anno solenni Expiationis die, repetitis tamen vicibus, eodem die adyutum ingressum, urget. Quodsi enim Talmudicis in IOMA c. V. Mischna I. III. IV. IO. LIGHTFOOT de Minist. Templi c. XV. ABENDANA in Levit. XVI. alisq; testibus, diei Expiationis solennia quater repetito Pontificis M. in adyutum ingressu, absolvebantur, non male Antitypum confert WHISTONUS; & cum V. T. Pontifex ἀπαξ Sancta ingressus reēte dicatur, licet pluribus solenni illa die, vicibus, in Sancta penetraret, quidni pari iure Christus ἐφάπαξ cœlum ascensisse diceretur, pluribus licet vicibus Patri in celo exhibitus? Equidem haud pauci unico in adyutum ingressu functiones Pontificis V. T. expedient, Typum plenius cum Antitypo compostur, quam viam nuper admodum Theologus Tubingensis ANDR. ADAMUS HOCHSTETERUS Diff. de Ingressu Pont. in SS. ingressus est; Maiori tamen veritatis specie corum se commendat sententia, qui faciem præferentibus e Iudæis MAIMONIDE in Hilcos Iom Hacippurim c. IV. §. II. Hilcos Bias Hammikdach c. II. §. III. e Christianis ROB. SHERINGHAMIO in Ioma c. V. §. IV. IAC. RHENFERDIO in Diff. de Comparatione Expiationis Pont. V. cum Pont. N. T. §. XXI. P. IURIEU Lib. II. Hist. Crit. c. XIV. p. 340. & IO. ANDR. DANZIO Diff. II. de Funct. Pont. in Adyto c. III. §. XVII. Pontificem solenni Expiationis die pluribus vicibus Sanctum Sanctorum ingressum iudicant, Paulum vero unicum Pontificis

tificis in Sancta memorantem ingressum de actu diei Expiationis continuato loqui malunt, eo sensu, quo Israelitæ ter quovis anno comparere coram Iehova dicuntur Exod. XXXIV. 23., pluribus licet in unaquaque comparitione vicibus, templum ingressi. Quare Prærogativa Pontificis N. F. præ Pontifice fœderis antiqui intercedit, quo minus omnibus absoluta numeris Typicum Antitypo Harmonia instituatur. Neque enim peccatis propriis expiandis, nec Pontificalis dignitatis successore indiget N. F. Pontifex, qui omni νόμῳ σαρκινῇ ἐντολῃ statuto Legis in Paradiso latæ, generi humano necem minantis, exemptus, secundum virtutem vita perennis Sacerdos est perpetuus Ebr. VII. 17. Quas Pontificis N. F. prærogativas brevi compendio Hebr. VII. 27. a Paulo delineatas, luculenter illustrat IO. BRAUNIUS L. III. Select. Sacr. c. IV. p. 330. Quamobrem, sicut Christus nobilioris fœderis exprimislor nobiliore victimam pro peccatis obtulit Ebr. IX. 14. 23. X. 4. ita & introitus eius in Sancta introitum Pontificis V. F. multis titulis antecelluit. Pontifex enim V. F. folium prunis & accerram suffitum repletam Lev. XVI. 12. 13. porro iuveni immolati sanguinem pro peccatis Pontificis v. 14. tum hirci cruentum pro peccatis populi maestati, pelvi exceptum v. 15. Sanctuario intulit, tandem ut Hebreis in IOMA c. VII. Mischna IV. placet, accerram loco suo reponendam, Sancto extulit. Omnibus his Pontifex N. T. supersedere potuit, non iuveni aut hirci cruento, sed sanguine proprio cœlum ingressus; quare, nec gemina sanguinis aut thuris illatione, nec prunarii aut thuribuli elatione opus habuit, assiduus precum suffitum vi meriti sui adolens, DEoq; offenser Ebr. X. 10. Altera WHISTONIANI erroris occasio est, quod introitum Christi semel suscepimus ad τοντεσταν τὸν αἰώνα restrin-
gat, acsi id solum innuat Paulus, quod Christus non in diversis Oeconomia temporibus, sed ἄπολες semel in extrema nempe mundi Periodo, peccata mundi expiaturus orbem ingressus sit, nec nisi semel, pro nobis intercessurus in ultima mundi Peri-
odo cœlum intraverit. Quo ipso & nexus & vis verborum Pauli rumpitur, qui ex necessitate semel moriendi homini peccanti im-
posita unicum Sponsoris in sancta introitum concludit, uni-
cam Pontificis N. T. immolationem cum unica ejusdem in cœlo
com-

comparitione componens Hebr. IX. 27. 28. Καθ' ὅσου ἀπίκενται τοῖς αὐθεώποις ΑΠΑΣ εἰποθανέν, μετὰ δὲ τότε καὶ σήμερος οὐτως ἔχεις οὐ προσενεχθεὶς, ἐκ δευτέρου χωρὶς ἀμαρτίας ὄφθησεται τοῖς αὐτὸν ἀπειπεχομένοις εἰς σωτηρίαν. Ubi quidem, in cunctis lectionibus apparuisse Christum indicat Apostolus, ut Periodum temporis generatim exprimat, unicum tamen Christi ingressum determinat arctius, dum eundem cum morte hominum & immolatione Christi comparat, cui non nisi semel subiectus fuit, adeo, ut post manifestationem Christi in carne, sola ad iudicium apparitio residua sit.

§. XVI.

Ascensionem matutinam, primo statim a vita repetita die horis suscepitam matutinis, nec Christi cum Maria prolixis amplexibus Servatori obvia, colloquium Ioh. XX. 17. nec Officii Sacerdotalis conditio typico V. F. sacerdotio adumbrata evincit, utpote cui incumbebat, primo temporis articulo hirci piacularis sanguinem in sancta sine mora inferre, populique expiationem sparsa consummare sanguine Lev. XVI. 15. nedum decori leges postulant, ut ante cum Patre quam cum hominibus converfaretur. (‡)

(‡) Ascensionem Christi matutinam pervasuri WHISTONUS in Essays p. 145. & FLAMINIUS in Preface p. XVIII. Verba Christi Mariam compellantis producunt Ioh. XX. 17. Μή μου ἀπτεύθυντω γάρ αὐτοῦ θυμι προς τὸν πατέρα με. Πορεύου δὲ πρὸς τὸν ἀδελφό με, καὶ εἰπὲ αὐτοῖς, ΑΝΑΒΑΙΝΩ πρὸς τὸν Πατέρα με, καὶ πατέρα οὐμῶν. Cave me tangas. Nondum enim adscendi ad Patrem meum. Vade vero, discipulis nuncia: Ascendo ad Patrem et meum et vobis. Ubi quidem Christus id non vult, quod opinatur WHISTONUS Ess. p. 150. that he was just then going up to the Father se sine ulla mora ad Patrem ascendere, ut ne ulla quidem humanitatis admittere possit officia, sed a prolixiori amplexu Hec bræsi se invicem compellantibus admodum familiari, Mariam retrahit, ne moras inutiles necundo, a nuncio Resurrectionis ad discipulos

scipulos perferendo, retraheretur. Q. D. Noli me extensis compellare brachiis, aut definitos divino consilio dies, clapsos opinari, aut basia figendo intempestive cunctari; Satis tibi moræ erit prolixiores mecum instituendi sermones, qui aliquamdiu in terris commorabor. Necdum ascendi (qua tua forte aut discipulorum et vacuo sepulcro suspicio est) ad Patrem. Officiis tamen humanitatis si inhærente velis, age, rumpere moras, fratribusque meis more pressis me tibi visum nuncia, meq; in eo esse, ut finito curriculo Quadragesimali ascendam ad Patrem meum, per naturam, vestrum per gratiam. Vid. MR. JEAN CLAUDE in Traité de IESUS Christ. L. V. c. XIII. §. VI. T. III. Oevr. Poëth. p. 445. BERN. LAMY Comm. in Harm. Evang. L. V. c. XL. p. 612. & IAC. GUSSETIUS in Vesperis Gröning. p. 65. 66. Qua verborum interpretatione observata, tempus Ascensionis non determinat Servator. Neque enim ait: Νῦν ἀναβαίω αὐτὸν ἀναβαῖσθαι sed nondum se ascendisse innuit οὐπώ αναβαῖσθαι nondum ascendendi. Si vero ex sequenti ἀναβαίω eadem die imminentem colligas Ascensionem, potiori iure Christum iam ante Passionem in eo fuisse dixeris, ut sine interposita mora cœlum peteret, cum temporis articulum evidenter exprimat: ΝΤΝ ὑπάγω προς τὸν πέμψατέ με ΝΙΝΚΡΑΔΟ άδειον, qui misit me Ioh. XVI. 5. exacto μηχανή migraturus ad Patrem v. 16. quam quidem prædictionem non de instanti Christi in cœlum raptu, sed Ascensione post Resurrectionem maturina WHISTONIUS p. 149. exponit. Porro, nec Typus Pontificis V. T. sanguinem victimarum Sanctuario inferentis DEO in peccatorum Expiationem exhibendum, praesenti aptus est arguemento. Si enim plenam Typi imperfectionem, nec Antitypi sublimitas patitur ipso maestate victimæ die sanguinem Sanctuario inferri oportuit, cum Pontifex V. T. non tertia post effusum victimæ sanguinem, sed eadem, qua victimam immolaverat, die, sine mora adytum ingredieretur Lev. XVI. 30. *He did immediately and without Delay carry its Blood into the most holy Place, and sprinkle it before the Mercyseat, and thereby compleat the Atonement of the People,* ut WHISTONIUS in Essays p. 146. sermocinatur: Immediate ac, sine mora sanguinem adyto illatum coram Propitiatorio sparsit, expi-

expiatus populum. Quamobrem & Christus, Pontificis missio-
nia & typum expleturus, prima statim die, cum effuso sanguine
animam deponeret, peccata expiavit, eademque die Sanctum
Sanctorum ingressus est, εμφανισθησατο προσωπω τε θεος υπερ ιησου
quod in conspectu DEI pro nobis compareret Hebr. IX. 24. pre-
tiosum effundendo sanguinem sacrificium in cruce consummavit,
animam velo carnis rupto effusam, sanctuario sine manibus parato
intulit, eamque Patri exhibuit, certa sub sponsione, carnem se-
pulcro liberatam corpori uniciam coequo sistendam tempore, quod
divina visum fuerit voluntati. Tandem, si FLAMINIO decori iura
violasse videtur Christus, quod hominibus prius quam Patri se
manifestaverit, componat velim cum Decori legibus Apparitionem
qua ante Ascensionem ad Patrem WHISTONO omnium primam,
Mariæ apparuit. Et si enim Mariæ ignotus esset, apparitione
num tamen numero codem iure eximitur, quo manifestatio Christi
aliens induit forma Discipulis Emauticis facta apparitione
num numero excluditur. Christum Mariæ non tam sponte quam
invitum apparuisse nil impedit, quod *her affectionate Prayers and
Tears did extort Christ's making himself known to her, impensis pre-
cibus ac Lacrymis manifestationem Christi extorqueret.* Neque
enim lacrymis ad Apparitionem sed ad affectum movere Maria cu-
piebat Dominum sub hortulani forma manifestatum Ioh. XX. 13.

§. XVII.

Multo vero minus Ascensionem Christi vespertinam
triga licet Testium stipatus, WHISTONUS evicerit. Prae-
sidium in MARCO ponit, qui Ascensionem Servatoris
apparitioni ultimæ Resurrectionis Dominicæ Die, tam
arcte connectit, ut nullum sit dubium, quin eadem die,
qua apparuit, in coelum adcederit. Marco LUCAM so-
ciat, qui Ascensionem aliam in Actis aliam in Evangelio
Luc. XXIV. memorat, per illam quidem Ascensionem solen-
nem quadragesimo a resurrectione die, per hanc vero Ascen-
sionem ipsa resurrectionis die horis suscepitam vespertinis, in-
nucas,

nuens. Scriptoribus sacris BARNABAM iungit, qui causam Sabbati Die Dominica celebrandi, traditus Διός ἀρχομεν τὸν ἡμέραν τὸν ὥγδην εἰς ἐνφρούννη ΕΝ Η ἀνέση ἐκ νε-
,, καὶ ΚΑΙ ΦΑΝΕΡΩΘΕΙΣ ΑΝΕΒΗ ΕΙΣ ΤΟΤΕ ΟΤΡΑΝΟΤΕ Propter-
,, ea , ait , lātantes transfigimus diem Octavam , IN
,, QUA surrexit a mortuis & conspectus ASCENDIT in
,, cōclum. Ascensio solennis in diem Septimanæ quin-
tūm , hæc , quam BARNAVAS laudat , in primum inci-
dit. Quare, WHISTONO iudice, non est, nisi Ascensio
vespertinis primæ diei horis suscepita.

(*) Eunivero ne his quidem testibus item transigit WHISTO-
NUS. MARCUS enim enumeratis primæ diei Apparitionibus,
Christum περτὸν Mariæ v. 9. μετὰ ταῦτα Discipulis duobus
v. 12. & ὑπερον sub finem diei Apostolis vistum memorat v. 14.
brevique usus compendio (quod Marc⁹ fere perpetuum est) re-
censtis Resurrectionis Dominicae Gesris, Ascensionem Christi,
subiungit, v. 19. addens : οὐ μὲν Κύριος μετὰ τὸ λαλῆσαι ἀν-
τοῖς, εὐελύθῃ εἰς τὸν Οὐρανὸν καὶ ἐνάποθεν ἐν δεξιῶν τῷ Θεῷ. Eam
procubilus Ascensionem Marcus indicat, quam Sessio ad dex-
tram Patris & Apostolorum in orbem exceptit migratio Marc. XVI.
19. 20.; eavero non est nisi Ascensio solennis, quadragesimo a vi-
tare repetita die suscepta. Accedit Marci stylus a Luca plane diver-
sus; Marcus enim Dominum in celos sublatum memorat, μετὰ τὸ λαλῆσαι ἀντοῖς post institutos cum Discipulis Sermones. Ubi
quidem nullanos cogit necessitas, verba Historici ad sermones ul-
timos restringere, qui potius omnes sermones, omniaque col-
loquia præsertim de Regno DEI , Act. I. 3. integrò XL dierum
intervallo cum Discipulis instituta, complectitur. Lucas vero de eo
Christi colloquio locutus, quod paulo ante Ascensionem cum disci-
pulis instituerat, ait: οὐ ταῦτα εἰπάν, ἐπήρθη Et, HIS DICTIS,
sublatus est Act. I. 9. evidenti indicio, arctius Luca narrationem,
quam Marci cohædere. Suo proinde indulget genio WHISTONUS
dum p. 155. ait: Those who wrest them to the final Ascension, must
do it, not because the Text of it self points that way, but
because

GESTA CHRISTI

because their Prejudices do not permit them to think of any other. Qui ad ultimam Christi Ascensionem ista torquent,
 „id non faciunt, quod Textus ipse ad illam respiciat, sed quod
 „Præjudicia ipsorum non permittant de alia Ascensione cundem
 „exponi. Quod porro LUCAM attinet, perperam WHISTONUS aliam fingit Ascensionem, quæ Lucæ XXIV. 51. ab
 Ascensione, quæ Act. I. 9. describitur. Quamobrem WHISTONO applaudere non audet FLAMINIUS, in reliquis eum presso pede
 fecutus. Demus enim, nec Nubis Christum suscipiens nec An-
 gelorum Ascensioni præsentium LUCAM in Evangelio memi-
 nisse, eadem tamen Historia in Evangelio brevius, plenius in Actis
 narrari potuit, sive ex divina Revelatione, sive ex autóπτω ple-
 niori institutione, quorum hoc illi FLAMINIUS præponen-
 dum iudicat. Circumstantiæ diversæ, si in una Historia tolerari
 commode queant, Gestæ diversæ non innuunt, nisi geminam fингas
 Christi Sepulturam, quod Lucas solius Iosephi, Iohannes vero
 & Nicodemus meminerit, aut ex unica Christi Apparitione Emaun-
 tica duæ fiant, quod eadem Apparitio prolixius a Luca, breviori
 filo a Marco describatur. Lucas, ait WHISTONUS, unus
 idemque Scriptor rem eandem stylo tam diverso vix explicasset!
 Annos vero & Moses eandem Adami ac Evæ creationem Gen. I. 17.
 paucis delineatam, c. II. 7. aliis plane vestitam exhibet cir-
 cumstantiis? Neque tandem Locus diversus diversas Christi in-
 fert Ascensiones, dum Ascensionem Vespertinam e Bethania XV
 stadiis ab Hierosolyma distante Luc. XXIV. 50. 51. coll. Ioh. XI. 18.
 solemnem vero e monte Oliveti via Sabbati Hierosolymis remoto
 contigisse, WHISTONUS opinatur. Nondum quippe de situ
 Bethaniæ inter Geographos convenit, nec inter Interpretes: an pa-
 gus seu vicus, an totus ille montis Olivarum tractus Be-
 thania salutetur? quo discrimine, dubio eruditæ satisfacere conatur
 IO. LIGHTFOOT in Chorogr. Marc. T. II. Opp. p. 409. &
 Hist. Iud. ac Christ. T. II. p. 754. Quid enim? an Lucas Act. I. 12.
 Christum e Monte Oliveti in cœlum sublatum memorat, an vero
 Apostolos inde reduces post solemnem ad montem Oliveti adora-
 tionem Luc. XXIV. 52. Hierosolymam profectos? Certe propi-
 tia veritate coniicit ROB. FLAMINIUS, non describi
 a Lu-

a Luca Ascensionis Christi locum, sed gesta discipulorum, qui Bethania reduces, confessis decem stadiis in Monte Olivarum, quinque stadiis Hierosolyma remota, substiterint, agonia Christi, cæterisque ad montem Oliveti Gestis in memoriam devote revocatis, Hierosolymam reversi sunt. Postremo Epistolam BARNABÆ viro Apostolico, comitique Pauli individuo, fide Spirituque pleno deberi, WHISTONUS velim cum NAT. ALEXANDRO, IO. DALLÆO, IO. BAPT. COTELERIO, STEPHANO MOYNE, HUG. MENARDO aliisque ante transfigat, quam Barnabam cæteris Scriptoribus Sacris opponat, sibiique dictum putet, quod ab ipso in simili dictum est argumento p. 165: *It is not a mighty proper Method to alledge, that BARNABAS was of another Opinion in this matter from the Evangelists. Quare vel cum HUG. MENARDO & EDITORE BARNABÆ OXONIENSI textus Barnabæ corruptionis incusandus, vel concisum dicendi genus Φανερωθεις ait 39, ita exponendum erit: Cum apparuisset, per XL dies, (quos obiter ac extra locum suum immiscer Barnabas) ascendit. Certe Scriptorum Sacrorum longe sanctior est auctoritas, quam ut ei effata Scriptorum dubia fidei anteponat queant, mirari que satis nequeo, virum mathematicis demonstrationibus innutritum tam levi momento ad gravem adeo suspicionem impelli.*

§. XVIII.

Quando vero SOCINIANI perpetuitatem Sacerdotii Christie commoratione Quadragesimali perplexis involvunt dubiis, & Servatorem in terris superstitem illo minimum tempore Sacerdotem inficiari audent, quod Paulus diserte Christum ~~est~~ ~~est~~ quamdiu in terra fuit, Sacerdotem fuisse neget Hebr. VIII. 4. Scripturæ ignari, insigniter hallucinantur. (‡) Alienissima est a Socinianorum ingenio Pauli sententia, id saltim innuens, quod Christus verus perfectusque Sacerdos ac Pontificis V. T. non fuisset antitypus, si, oblatione consummata, perpetuus terræ foret incola,

E

nec

nec in conspectum D E I venisset. Præterea tantum abest, ut commoratio Christi in terra Quadragesimalis a functionibus Christi Sacerdotis aliena sit, ut ea potius Ty-
pum Pontificis V. T. luculentius exprimat, qui Adyutum intraturus Sanctum pertransit, & redux e Sanctissimo, muneri suo expediendo in Sancto fuit intentus.

(†) Scopulisunt, ad quos Sociniani de Sacerdotio Christi allidunt, interque eos is prefertim, quem in verbis Paulinis Hebr. VIII. 4. sibi ipsis posuerunt: *Εἰ μὲν γὰρ ἦτι γῆς, σὸν οὐκ ἡ Ιερεὺς, ὅταν τῶν ιερέων τῶν πρεσβευτῶν κατὰ τὸν νόμον τὰ δῶρα. Σιγάνιον Σα-
cerdos foret in Terra, Sacerdos non esset. Sacerdotes enim sunt,
qui oblationes offerunt secundum Legem.* Vindicias Paulinorum verborum contra Socinianos paratas, nolim repetere. Si enim τὸ πρεσβέτερον δῶρα τοῦ Θυτοῦ de cultu diei Expiationis & illatione sanguinis in Sanctum Sanctorum exponas, mihi certe nexus verborum firmissime persuadet, Paulum nequaquam negare, Chri-
stum verum Sacrificium DEO in terra obtulisse, cum perpetuo tamen Christi Sacerdotio conciliari non posse, si resurrectione & morte superata perpetuo in terris commorari, nec in conspectu DEI comparuisse diceretur; Sic enim non fore perfectum Sacerdotem a DEO constitutum, solenniique iuramento inauguratum. Perinde ut Pontifex V. T. sanguinem victimæ extra sanctuarium immolatae Sacrario intulit, ira ad consummandum Christi Sacerdotium, immolationem victimæ in cœlo exceptit præsentatio. Cuinam enim Tabernaculo sanguinem intulisset N. T. Medi-
ator? An terreno? Atqui non erat Sacerdos terreno serviens ta-
bernaculo & umbræ cœlestium, nec sanguine victimæ terrena-
vtebatur, nec e Tribu Levi aut Aaronis natus erat prosapia, cui soli, vi statuti divini, ingressus in Adyutum patuit. An nullo? sic ne Pontifex quidem fuisse, & functionem sacerdotalem inchoasset quidem officii autem mania non explesset, ad quam consumman-
dam functiones gemina arctissimo sibi nexa vinculo require-
bantur, Oblatio nempe victimæ & ingressus ad sanguinis exhibi-
tionem. Quodsi igitur Sociniani Quadragesimalem Christi in
terræ

terris commorationem veritati Sacerdotii Christi opponant, Christum eo ipso potius Pontificis V. T. typum adumbrasse, ego quidem dubitare nolim. Nam sicut Pontifex Vet. Testis in Aduytum penetraret, sive e Sanctuario redux fieret, muneri suo in Sancto obeundo intentus, aptandis & reficiendis lucernis thuriq;adolendo operam dedit; ita Pontifex N. T. post resurrectionem suam universo populo non est exhibitus, sed primitus N. F., electis a DEO testibus, quos veritatem Resurrectionis sua Re-gnumq; DEI edocuit & Apostolos velut totidem lampades infuso oleo Sp. S. refecit. Ioh. XX. 23. Ea tamen in Sancto commoratio, uti Pontificis M. transitum per Sanctum meditantis iisque tantum functionibus intenti, quas in Sancto expediri, necesse erat, irritam non redditum, ita nec commoratio Quadragesimalis Pontificis N. T. sacerdotium, iter ad Patrem meditantis, ullo modo labefactavit. Vid. IO. OWENUS in Exercitations on the Epistle to the Hebrews concerning the Priesthood of Christ Exerc. IX. §. XI. XII. NIC. GURTLERUS diff. de Perpetuo Sacerdotio I. C. s. CVIII. & IO. D' OUTREIN Comm. in Ebræos T. II. p. 413.

S. XIX.

Ascensionem ad Patrem, si ROB. FLAMINIO credimus, iter exceperit in Aðy seu Paradisum coelestem, statum locumque animarum beatarum, quem Christus soluta a corpore anima in triduo mortis primum, deinde anima corpori unita post Resurrectionem iterato petiit, in certissimam Resurrectionis sua fidem spemque uniendarum animarum cum corporibus Beatorum e tumulis suo tempore excitandorum. Ac evidens quidem redditus Christi ex AðH inter Resurrectionem & Ascensionem indicium FLAMINIUS existimat Sanctorum e monumentis sepulcralibus educationem, (*)qua gloriæ Primogeniti e mortuis comites ac testes, futuræque Resurrectionis universalis anteambulones manubiarum instar cum Christo mortis victore ac triumphatore suscitato, ad beatam resurrexe-

runt

runt immortalitatem; virtutem mortis Christi, sepulcra aperientis demortuosque excitantis, proprio comprobaturi exemplo. Matth. XXVII. 52.

(*) Sperandam cum Messia adventu piorum Resuscitationem, antiqua pervasi traditione, Iudei credunt; Divina autem veritate Resurrectionem Sanctorum cum Christo excitorum Matthæus confirmat c. XXVII. 52. οὐ τὰ μνημεῖα σινέωχθσαν, οὐ πολλὰ σώρατα τῶν νεκραιμένων αγίων ἥγεσθ. Καὶ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μνημείων META THN ΕΠΕΡΣΙΝ ΑΥΤΟΥ εἰσῆλθον εἰς τὴν ἀγίαν πόλιν, οὐ ἐνεφαίνονται πολλοῖς. Sanctorum nomina ne coniectando quidem affequi, Scriptura silente, datum est. Quando enim IGNATIO ad Magnesios §. IX. teste, Christus Prophetas V. T. παῖδες ἥγετεν ἐν νεαρῶν, eruditæ quidem suspicatur THOM. SMITH in Schol. ad Ignat. Epist. p. 80. Prophetas V. T. resuscitatis cum Christo ab IGNATIO annumerari. Ecquis tamen cum Auctore Relationis Pilati ad Tiberium eorum numerum ineat, & Abrahamum, Isaacum, Iacobum, XII. Patriarchas & Mosen e spurio certos nos reddat monumenta? aut cum THEOPH. RAYNAUDO T. IX. Opp. c. XIII. p. 555. Latronem in cruce conversum ex eo contentiose arguat, quod nullæ Latronis in Ecclesia Romana supersint reliquiae? Si Historiæ Iobi c. XLII. 21. cum IO. PINE-DÀ T. II. p. 61. credimus, lobus resuscitatorum cum Christo auxit numerum γέγραπτος δὲ, ἀντὸν πάλιν ἀναστοῦνται μεθ' ὧν οἱ Κύριοι ἀνίστηνται. Sed lacinia est LXX. versioni adsuta unanimi quidem Codd. Græcorum THEODOTIONIS ac ARABIS versione probata, a CHRYSOSTOMO ac OLYMPIODORO explicata, additamentis tamen Iobais abs ORIGENE in Respons. ad Africanum merito accensita: Εν ἀλλοῖς πολλοῖς ἀγίοις βιβλίοις ἔνεργοιν πῆ μὲν πλείονα παῖς ἥμην καίνεντα, οὐ παῖς Εθελοῖς. πῆ δὲ λεπτοταταί ἄλλα καὶ ἀπὸ τῆς Ιωβ, τα ἀπὸ τῆς γέγραπται δὲ ἀντὸν πάλιν ἀναστοῦνται, μεθ' ὧν οἱ Κύριοι ἀνίστηνται καὶ λ. Θεῖται παῖδες τοῖς Εθελοῖς. Καὶ ἄλλα δέ μαρτιαὶ εἴησαν ἐν τῷ Ιωβ καὶ καὶ ὅλοις καὶ ἐπὶ πλεον ἐν τοῖς ἡμετέροις αντιγραφοῖς παῖδες τὰ Ισδαιοῖς, quam in rem conferri merentur IAC. USSERIUS in Diatribe de LXX. Ver. c. VIII. FRIDR. SPANHEMIUS in Hist. Iobic. V. §. VI. T. II. Opp. p. 43. & IO. RUD. WETSTENIUS Observ. in Orig. Epift.

QUADRAGESIMALIA.

37

Epist. ad Afric. p. 187. Ad Sanctos N. T. alii deveniunt, & Simeonem quidem senem, aliosq; paulo ante mortem Christi demortuos resuscitatis annumerat DAN. WHITBY in Paraphr. N. T. ad Matth. XXVII. 52. quod resuscitati, iis quibus apparebant, noti fuisse perhibeantur. Si tamen solos Sanctos Christo coævos intelligit, probabilitate sua cadit conjectura Viri Cl. non inelegans. Ut enim taceam, Mosen & Eliam nunquam ante Apostolis conspectos, iis tamen in comitiis montanis cognitos fuisse; Christi certe ætas adeo perversa fuit, ut præter Iohannem Baptistam, eiusque Parentes, Simeonem ac Hannam pauci sanctis ante Christum demortuis annumerari queant, & tamen Pontificii ne hos quidem cum Christo resuscitatos in cœlum evectos credunt, quod eorum in cœlum ascensio cum reliquiis in Ecclesia Papæ divino cultu suscepisti, componi nequeat. Quin & Hannam omnesque feminas IO. LORINUS Comm. in Act. II. 29. excludit, quod Mariam decuerit esse Primum genitam resurgentium inter foeminas, sicut Christum inter viros, quod figuramentum cum ficta Maria in cœlum Ascensione a' Pontificiis, LAMBECIO præfertim L. VIII. de Bibl. Vind. p. 132. asserta, componi posse, non dubito. Hoc solo contentos nos volunt Scriptores Sacri, quod Sancti resuscitati, in apparitione sua divino illustres lumine, declararint, olim se mundi fuisse incolas; An vero exitus eorum e monumentis tempore mortis, Apparitione vero post Resurrectionem Christi contigerit? diversa vocum uerba τὴν ἐγερούσαν ἀντίκλισην, dirimendum iudico cum DAN. HEINSIO Lib. I. Exerc. S. c. XXII. ANT. BYNÆO L. III. de Morte I. C. c. VIII. s. XXVIII. & NANOTILEMONTIO T. I. Memoires pour servir à l' Hist. Eccl. Observ. XXXVI. p. 250. Ut adeo non satis libratis rationum momentis ROB. FLAMINIUS L. III. Christol. c. V. p. 508. ex addito educationis e sepulcris mortuorum tempore concludat, *that Christ brought them from thence, after his own Resurrection, Christum e Paradiſaco ad post Resurrectionem suam Sanctos eduxisse.* Matthæo enim auctore Sancti vi mortis Christi excitati & e Paradiſo educiti, post Resurrectionem Christi urbem sanctam palam ingressi sunt, ut resurrectionem Servatoris, suâ, omnibus urbis sacrae incolis confirmarent. Nec concedi potest FLAMINIO Encchum, Mosen & Eliam in suis corporibus, reliquos Sanctos with-

E 3

out

out them, tho perhaps with some sort of equivalent vehicles, sine corpore, veliculo tamen quodam corporeo vestitos in Paradiso vivere, licet innovatam ac paradoxam istam sententiam L. I. Christology p. 64. operosius propugnarit. Existimare, singularem hanc Sanctorum Resuscitationem prædicti a Christo Ioh. V. 25. Εγέρεται ἄνα, καὶ γέννησιν ὅτε δι νεκροῖς εἰσόντων τῆς Φωνῆς τε Τίταν τε Θεός, καὶ εἰς εἰσόντες ζήσονται. In hac hora, qua mortui vocem filii DEI audiunt & qui audiunt, vitam recuperabunt. Resurrectionem enim spiritualem cogitare, textus non permittit, nec Universalem omnium mortuorum Resurrectionem, quam ceu maiori dignam admiratione ab hac multis modis discriminat v. 28. 29. sed eam quæ mox instabat, qua quidam mortuorum Φωνῆς filii DEI in cruce exspiravit Matth. XXVII. 50. Φωνῆς, quam ruptura veli, fissura petrarum, terræ motus, aperturaq; monumentorum exceptit, in vitam revocandi erant.

An vero solennis Sanctorum V. T. Resurrectio similem Sanctorum N. T. sub multis persecutionibus mortuorum resuscitationem in solenni Millenario sperandam adumbrabit? quod FLAMINUS insigni eruditiois apparatu in Diff. of the First Resurrection p. 29. seqq. adstruit, Anglos magni nominis WHITBYUM, STAYNOIUM, BEVERLEIUM & WHISTONUM impugnans, prolixiori scrutinio dignum existimo.

§. XX.

Cæterum maiori temeritate HENRICUS DODWELLUS (†) e Scriptura Patribusque primævis animas fidelium V. T. in Paradisiaco Christi itinere aquæ Baptismo lotas, magno quidem, sed non minus inani labore, adstruxit. Atque id quidem ex ipsa, quam Scriptura exponit, Baptismi ratione convellitur. Baptismus enim est foedus gratiæ I. Petr. III. 21. homines non in Oeconomia gloriæ sed gratiæ obligans. Sigillum est, sed novi foederis, quo Christus, veteri antiquato, novum inauguravit. Quare sicut Circumcisio Majores Abrahami ante institutionem suam non obligasset, ita nec Baptismus Novi foederis signaculum, fideles V. T. Baptismo nondum introducto, denatos, obligare potuit.

(†) Ni-

(+) Nihil non molitur HENR. DODWELLUS in the Epistolarly Discourse seu Discursu Epistolico Londini MDCCVI. edito, ut animam natura sua mortalem immortalem fieri, persuadeat, impiorum quidem per merum DEi arbitrium, ut puniantur, piorum vero per Spiritum Baptismalem legitime electorum Episcoporum benedictione collatum, ut præmio potiantur. Et ut eam, quam sibi semel persaferat, aliis quoq; probabilissimam reddat, sententiam, omnibus dubiis superandis animam addit. Quorum quidem illud DODWELLUS haud leviter suspensum tenet: Quid de animabus fidelium V. T. ante Baptismi institutionem demortuorum sentiendum sit? an & illis Baptismus immortalitatem contulerit? Hinc, ut illas quoq; immortalitatis dono, per Baptismum collato gaudere ostendat, animas fidelium V. T. ante Baptismum a Christo institutum demortuorum, ut immortalitatis per Baptismum gauderent privilegio, a Christo in æon Baptismo lotas ac immortalitate dotatas esse, propugnat. Conf. s. XLII. p. 175. DODWELLUM magni agmine Viri in Anglia celebriores SAM. CLARIUS, EDMUNDUS CHISHULL, IO. TURNERUS, THOMAS MILLESIUS, IO. NORRIS aliique eruditis æque ac prolixis scriptis aggressi sunt; Hoc vero de animabus in Paradiſo a Christo baptizatis Paradoxon, solus, quantum novi, sub examen vocavit DANIEL WHITBY in Reflections on some Assertions and Opinions of Mr. Dodwell. Sect. VI. p. 83. seqq.

§. XXI.

Enimvero ut istarum DODWELLI conjecturarum pateat imbecillitas, omnes certe ita comparatas puto, ut vim Baptismi soli N. T. vindicatam, haud obscure labefactent. Et Baptismi quidem tanta videtur DODWELLO necessitas, quanta fidei, ut sine Baptismo æque ac sine fide salus sperari nequeat, quod utrumque arctissimo nexu a Christo coniungatur: Qui credit & baptizatus fuerit, salvus erit Marc. XVI. 16. Ioh. III. 5. 1. Petr. III. 21. Unde concludit, fideles V. T. & eadem cum fidelibus N. T. fide, &

& eodem salvati Baptismo , quem cum vivi non suscep-
perint , Baptismo in V. T. nondum introducto , mortui
Baptismo Christi irrorati fuerint . Quamvis vero Christus
Baptismum propria non administraverit manu Ioh. IV. 2.
& Baptismum aquæ Apostolis demandatum non pro ani-
mabus separatis sed pro vivis saltim instituerit ; Gratiam
tamen suam Baptismo aquæ ita non adarctavit , ut nem-
uem ab ordinata salutis via Ioh. III. 5. Nicodemo pate-
facta (‡) exemptum velit .

(‡) Oraculum Ioh. III. 5. de inevitabili Baptismi necessitate veteris Ecclesiæ Doctores non sine exceptione intelligunt , quin potius in ca-
fibus extraordinariis Legis ordinariae dispensationem admittunt . Et
Martyres quidem vitam in fidei offerentes testimonium sine prævio
Aqua Baptismo Regnum gloria ingredi , Baptismumque Sangvi-
nis in Martyribus vices Baptisini aqua sustinere TERTULLIA-
NUS de Baptismo c. XVI. CYRILLUS HIEROS. Catech. XIII.
FULGENTIUS de Fide ad Petrum c. III. & GENNADIUS
de Eccles. Dogm. c. LXXIV. arbitrantur . Unde CLE-
MENS ALEXANDRINUS L. IV. Strom. p. 503. Martyrium
nominat ἀνακαθάρτιον απαγάγγελη δόξης peccatorum gloriose
purificationem , quod ORIGENE auctore , Hom. VII. in Iudic.
magis purificet , quam Baptismus aquæ , & CYPRIANUS ad
Iubaianum Epist. LXXIII. maiorem gratiam Sangvinis quam Aquæ
Baptismo adscribit , quod post illum relapsus in peccata negetur ,
& baptizati cum DEO statim copulentur fideique corona potiantur ,
non amplius , ut in aquo , servi , verum amicis Christi accensiti ;
Quam Patrum sententiam HENR. DODWELLUS Diff. Cypri-
anica XIII. de secundo Martyrum Baptismo §. VII. multo erudi-
tionis apparatus defendit . Porro & Catechumenorum ad Bapti-
smum suspiria , Baptismo actu collato æquipararunt Veteres , de-
que Infantibus Christianorum ante Baptismum denatis , mitius
Ecclesia pronunciavit . Quamobrem qui perentoria Christi sen-
tentia gloriam sine baptismo denatis præcludunt , ad desperata invi-
tati remedia , vel Baptismum in vino ac arena admittunt , vel In-
fantes

QUADRAGESIMALIA.

41

fantes natos aqua viva destituti, mortisera ac venenata irrorari, aut accelerandi Baptismi ergo in puteos fontesque proici, vel maternis latebris absconditos, utero secto extrahi maluerunt, ne præsentissimo quidem matris partusve periculo territi. Pariter iure, quo nonnulli peremtoria Christi de S. Cœna Ioh. VI. 53. moti sententia, neminem sine S. Cœna usu salutem consequi posse, rati, infantibus æque ac mortuis Eucharistiam distribuerunt. Vid. IO. HARDUINUS in Qq. de Baptismo Q. II. Opp. Sel. p. 223. IO. DALLÆUS L. V. de Cultibus Latinorum Religionis c. III. p. 576 THEOPH. RAYNAUDUS de Sectione Cœsarea T. XIV. Opp. p. 266. & IO. ANDR. SCHMIDT Disl. de Baptismo per Arenam p. 10. ut & de Eucharistia Mortuorum.

§. XXII.

Baptismum τηπ τὸν νεκρὸν I. Cor. XV. 29. a DODWELLO obiectum, nec Baptismum puto animarum separatarum fidelium V. T. aut Vicarium quendam Sponsorum superstitum pro illis, qui fato inevitabiliter ante Baptismum suscepimus abrepti, fidem in Christum vita pariter ac lingua professi erant; nec ea fini susceptum judico, ut animæ mortuorum in foedus divinum per Baptismum cooptatae ac immortalitate dotatae, coelestis gaudii redderentur participes. Vicarium enim, quem DODWELLUS fingit, fideiussorum pro defunctis Baptismum, indubitate priorum Seculorum testes ac Tabulae obfirmate renuunt, nec Paulus minimos Ecclesias Corinthiacæ carpens abusus, errorem gravissimum dissimulasset, nedum ex eodem argumentum fidei petiisset. (**)

(**) Nimirum Baptismum pro mortuis DODWELLUS in Disc. Epist. §. XLII. p. 178. interpretatur de Baptismo vicario Susceptorum ac Fideiussorum Ecclesias Apostolicæ, pro iis suscepto, qui fidem Christianam agnoverant, but had, by some Providence unavoidable by human diligence been taken away before they had received the Sacrament of Baptism, sed morte inopina præventi, sine

F

Bæ.

Baptismo deceperant. Quo Baptismo fidelium, iusto titulo Fœderis Baptismalis iuribus sibi vindicatis, certi fiebant Christiani superstites, corpora demortuorum animabus suis olim socianda resuscitatum iri. Inde ergo pro Resurrectione mortuorum argumentum omni exceptione maius petere DODWELLO videtur Apostolus aduersus illos, qui mortuos nunquam resurrectos infelicius opinabantur. Firmiora vero ritus huius documenta desiderantur, illo maxime in loco, in quo omnium fere & Criticorum & Theologorum desudavit industria, aut cum HARDUINO, COLOMESIO, SPANHEMIO, SCHMIDIO, SAUBERTO, aliisque lis transfigenda ante fuisse DODWELLO, quam suam eruditis obruderet coniecturam. Nolim tamen diffiteri, simile quid ante DODWELLUM præter antiquiores TERTULLIANUM & AMBROSIUM in mentem venisse GROTIO, CASAUBONO, IUSTELLO, GOODWINO, DALLÆO, aliisque FRIED. SPANHEMIO Diff. de Bapt. propter mortuos Sect. II. §. IV. T. III. Opp. p. 583. memoratis.

S. XXIII.

HERMÆ tandem Visio, viri, iudice DODWELLO, Apostolici, in qua Patriarchæ aliique fideles, ante Christum in carne exhibitum mortui, e Baptismo aquæ ascendentibus, ipsi revelati sunt, inque Regnum DEI deposita prioris vitæ per Baptismum mortalitate, ingredi, eandem mereret censuram, quam sententia THEODORI ABUCARÆ, demortuos ante Christum exhibitum fideles, aqua et latere Christi perforato irroratos, adstruentis. (*)

(*) HERMAM Lib. III. Simil. IX. §. XVI. non in re vere gesta, sed Visione enarranda occupari, nec omnia in proprio urgenda sensu, contendunt plurimi. CLEMENS ALEX. tamen L. VI. Strom. rem vere gestam narrari credit, fundamentum coniecturæ in Scriptura quærens 1. Cor. XV. 29. 1. Petr. III. 19. IV. 6. Alii tandem Baptismi Aquæ necessitatem visionis schemati implicari opinantur, ut W. WALL Theologus Anglus in *the History of*

QUADRAGESIMALIA.

43

Infant Baptism P. I. c. I. §. IV. p. 4. 5. observat. Potior eaque perpetua fere de autoritate HERMÆ lis fuit. Etsi enim DODWELLUS Diff. Cyprianica IV. §. I. Hermam illuminatissimi Prophetæ titulo dignum iudicet, charismate Visionum suo ævo illustrem, & in Observ. ad Iren. p. 120. fidem humana longe maiorem ei tribuat, maxime, cum variis Bibliorum Codices a IO. MARTIANÆO Proleg. III. in Hieronym. allegati, Visiones Hermæ scriptis N. T. adiectas, exhibeant; Eas tamen iam Origenis atate contemni cœpisse, & a DAV. BLONDELLO ac LARROQUANO vilipendi, dissimulandum non est. Vid. LEO ALLATIUS de Libb. Ecclef. Græc. Diff. II. p. 251. seqq. IO. BAPT. COTELERIUS in Hermam T. I. PP. Apoll. p. 118. & DAN. WHITBY in Reflexions of Mr. Dodwell. p. 101. seqq. Abuca-ræ vero meditationem singulari cura solidæq; eruditiois apparatu illustratam, excusit THOM. ITTIGIUS Diff. de Baptismo Fid. ante adv. Christi defunctorum per aquam quæ ex eius latere profluxit §. XXXIV.

§. XXIV.

Qyum vero & Angelos imperio suo Servator subiecerit Phil. II. 10. 1. Petr. III. 22., existimat FLAMINIUS (*) Angelorum turmas cœlo delapsas Christo mortis infernique domitori pœna cecinisse, multumque temporis Quadragesimalis Christi commemorationis colloquiis Chri-stum inter & Angelos institutis, insumtum esse. Altum nihilominus de his Angelorum colloquiis in Historia Sacra silentium est; quod, dum excusare tentat FLAMINIUS, visa saltim ac audita narrare sacros opinatus Historicos, haud leviter impingit. Neque enim illi visis ac auditis tantum contenti sunt, sed divino afflatu pleni vel nulli vel paucis, denique nec sibi ipsis visa ac audita consignarunt, quo præsertim apparitiones & colloquia Angelorum Matth. I. 20. IV. 11. Luc. XXII. 43. referto. Paulus quidem apparitiones Angelicas, medias collocat inter Re-

F 2

fur-

surrectionem & prædicationem Evangelii inter Gentes
1. Tim. III. 16. Enimvero si de Angelis Christi Resurrec-
tionem in tumba sepulrali nunciantibus , vel Apostolis
cæterisque Evangelii Praeconibus Christi apparitionibus
intra XL dierum decursum convictis Paulum exponas, (**)
ordo verborum illæsus manet, nec est , quod in iis FLA-
MINIO favere possit.

(*) Idem fere cum FLAMINIO L. III. Christologia c. V. p. 508,
509. in mentem venit S. HILDEGARDI in Quæst. XXXVIII.
Solutionibus Wiberto Monacho Gemblacensi transmissis Q. XX.
quas exhibet Tom. XXIII. Bibl. PP. Max. p. 587. (**) Et
Praecones verbi Angelos, & ἀγγέλοις quibus Christus visus est,
Apostolos reliquosque Resurrectionis Dominicæ testes nuncupa-
re, absonum non est, minimum illa interpretandi ratio ordini a
Paulo observato, non contrariari. Christus enim ἐφανερώθη ἐν
σαρκὶ cum in carne e Maria per nativitatem assumta mundo mani-
festatus apparuit Ioh. I. 14. Ebr. II. 14. Tit. II. 11. ἐδημαρώθη ἐν
πνεύμati per Spiritum aeternum e mortuis eductus, soluto iustitia
divina pro hominibus pretio in iudicio divino plene absolutus est,
Rom. I. 4. Ebr. XIII. 20. 1. Petr. III. 18. Sicq; peccato extincto vi-
taque morte plenam resurgentium massam sanctificavit 1. Cor.
XV. 20. Id, ut mundo innotesceret, ὅφθι αγγέλοις Apostolis cæ-
terisque Resurrectionis suæ testibus per XL. dies visus , apparuit
Act. XIII. 31. 1. Cor XV. 5. qui repudiato a Iudeis Evangelio
ad Gentiles conversi ἐνερχόθη ἐν Ἐθνοις CHRISTUM gentibus
annunciarunt Ef. XLIX. 6. Act. XIII. 46. eo ipso ἐπισεύδη ἐν
κόσμῳ Fundamentum fidei factus cui totius orbis fides nititur,
1. Cor. III. 11. ut omnes per fidem vitam haberent in nomine Chri-
sti Ioh. XX. 31. Tandem officio hoc expleto ἀνελήφθη ἐν δέ-
ξῃ in gloriam nullis seculorum terminis circumscriptam evectus, ad
dextram DEI exaltatus est Act. I. 11. Phil. II. 9.

§. XXV.

Quo fundamento vero , nisi vel infirmo vel nullo sta-
re putes iter Servatoris resuscitati ad Gentes dominio suo
sub-

subiectas , in quo Orbem incognito hac quidem fini peragrasse , coniicit FLAMINIUS , ut variarum gentium imperio suo subditarum rationem statumque exploraret. (‡) Quid ergo ? Servator ante mortem Iudææ Samariæque terminos egressus non est ? Non est sane ; sed tamen nec omnes Iudææ angulos perreptavit , licet minister esset Circumcisionis Rom. XV. 8. divino foedore inauguratus Luc. I. 68.73. missus in carnem quæsitum sparsas Iraelis oves Matth. XV. 24. Æque enim ut hæres Regni gentium imperio suo subiectarum Dominus est , tametsi omnium ditionum imperio suo subiectarum angulos non perreptaverit ; Ita & Christus , cui totus , qua patet , Orbis , omnesque terrarum termini cum universa gentium copia hæredatio iure traditi sunt Ps. II. 8. Gen. XLIX. 10. Hagg. II. 7. genti circumcisæ tantum prædicavit , id tamen negotii Apostolis dedit , ut Gentibus Evangelium nunciarent , suaque insuper præsentia Ecclesiæ se præfuturum promisit. Matth. XXVIII. 20. Ecquid vero Gentilibus occulta Christi profuisset Apparitio , nisi ab iis , perinde ut a Iudeis palam conspectus , cum iis locutus & conversatus esset ?

(†) Quo de Paradoxo evidens ferre liceat iudicium , iuvat illud verbis FLAMINII describere p. 509. *For, tho he was, for special Reasons, confin'd to Iudea, Samaria and Galilee before his Death; yet, seeing his Gospel was to be sent into all Nations, was it not congruous to his Design, to make an incognito Visit to the other Tribes, Families and Nations of Men?*

§. XXVI.

Postremo graviter errant , qui præcipuas N. Foederis leges tempore Quadragesimali a Christo traditas autumant. Et nostro tamen tempore GUIL. WHISTONUS ut Constitutiones Apostolicas Canonicis N. T. scriptis æquaret,

præci-

F 3

præcipuas N. F. Leges a Christo in Monte Sionis tradendas Quadragesimali inter Resurrectionem & Ascensionem tempore Apostolis vere tradidisse , hujusque rei memoriam in celebri ῥητοριακοσής Ieiunio , non ut vulgo existimant XL sed V diebus celebrato , quotannis ab Ecclesia renovatam & defendere & Constitutionum Apostolicarum auctoritate roborare , ausus est. (**) Scriptura , cunctis potior , Christum in mysteriis Regni coelestis plenissime inculcandis , eo tempore occupatum fuisse , testatur Act. I. 3. dogmata quoque Christi non post Resurrectionem dum , sed multis ante temporibus inculcata Luc. XXIV. 44. de Messiae Persona ac Officio , Luc. XXIV. 46. de Poenitentia ac Remissione Peccatorum v. 47. de Baptismo gentium Matth. XXVIII. 19. exprimit. Alias vero ab his , easque novas a Christo e monte Sionis promulgatas , ritus præsertim longo post tempore excogitatos nec exprimit nec determinat.

(**) Æque solida ista WHISTONI in *Essay on the Apostolical Constitutions* c. I.^o p. 14. ac ROB. BELLARMINI L. IV. de Verbo DEI c. V. pro Traditionibus argutatio est. Nimurum Christum ante Resurrectionem suam discipulis dogmata , quibus portandis eo nondum apti erant tempore Ioh. XVI. 12. intra XL post Resurrectionem dies , tradidisse ; Hæc vero dogmata Apostolos nec invidia quadam motos nec obliuione ducentos viva voce Ecclesiæ exposuisse. Verum Traditiones novas rerum ad fidem firmandam moresque formandos , necessariarum διὰ ἣν μάλιστα τὸς ἀπεισούμενος δύναται βεβαιῶθαι πέρι πίστων τὴν αἵδια φθογόνην , καὶ παιδευτῶν ἔχειν ἕδυσην τε καὶ δογματικήν , ut cum CYRILLO ALEXANDRINO Comm. in Ioh. L. XII. T. IV. Opp. p. 1123. loquar , in famoso τεσσαρακονταπέριων hac lege a Christo traditas esse , ut nunquam literis concrederentur , sed viva voce Ecclesiæ proponerentur , ab intentione Christi longe alienum est , qua uberiorem dogmatum revelationem non ad tempus post Resurrectionem Quadragesima-

QUADRAGESIMALIA.

47

gesimale, sed ad ὑπόμνησιν Sp. S. die Pentecostes effundendi, distulit Ioh. XVI. 13. nec aliorum, sed clariorem saltim eorumdem mysteriorum expositionem promisit Ioh. XIV. 26. XVI. 15. Perinde ut Paulus γάλα ποτίζειν καὶ βρέφας non alia fide parvulos ac infantes in fide, alia perfectos nutritivit, sed eadem dogmata auditorum aptavit ingenio 1. Cor. III. 1. 2. Institutionem tamen Sacramentorum his diebus promulgatam contendit BELLARMINUS! Id quidem si de Baptismo Gentium, aut de magnis salutis mysteriis, a Christo revelatis, dictum velit, facile cum LEO-NE M. Serm. I. de Ascens. Dom. c. II. largior, *dies inter Resurrectionem Domini Ascensionemque otioso non transiisse decursu, sed magna in iis confirmata sacramenta;* Si vero de spuriis Ecclesiæ Papæ Sacramentis, sui credo oblitus sit Cardinalis, quod alibi eorum institutionem non in Traditionem, sed expressam Scripturam resolvat. Ceterum de celebri τεσσαρακοστῷ ieunio seu XL seu V diebus in veteri Ecclesia celebrato, WHISTONO item prolixam non moveo, quod IO. DALLÆUS de ieun. & Quadrag. L. III. c. VII. & IX. eam rem data opera agat, quem prolixius quidem, impari tamen in nonnullis conatu impugnat GUILH. BEVEREGIUS L. III. Cod. Canon. Eccl. Primit. vindicati & Illustr. c. II. seqq. Nimirum SOCRATE L. V.H.E. c. XXII. auctore, numeri dierum ieunio destinatorum ingens olim in Ecclesia fuit discriminem, quod ne BEVEREGIUS quidem Observ. in Can. LXIX. Apost. p. 34. in dubium vocare sustinuit. Quando vero WHISTONUS auctoritate IGNATII Epist. ad Philip. S. XIII. motus, τὴν τεσσαρακοστὴν ait μήνων περέχειν τῆς τῆς Κυρίου πολιτείας imitari conversationem Dominicam & AUCTOR Confit. Apost. L. V. c. XII. Τεσσαρακοστὴν μήνων περέχειν τῆς τῆς Κυρίου πολιτείας καὶ ΝΟΜΟΘΕΣΙΑΣ, nolim quidem per πολιτείαν Κυρίου aliam Christi conversationem quam Quadragesimalē resurrectionem inter & Ascensionem intelligi, per νομοθεσίαν vero non Leges N. F. eo tempore latas, sed quadragesimalē Moses in monte commemorationem indicari, quam Ecclesia in ieunio τῆς τεσσαρακοστῆς piamente recoluit. Taceo IAC. USSERIUM in Prolegg. ad Epist. Ignat. c. XIII. Constitutionum Apostolica-rum ac Epistoliarum Ignatii corruptelas ab eadem manu derivandas vel

vel ex hoc documento suspicari. Tandem dum WHISTONUS Legis novæ e monte promulgata meminit, opportune obveniunt illa EUSEBII L. III. de Vita Const. c. XLIII. narrantis Helenam Constantini matrem duo extrusisse Templa, alterum ad speluncam in qua natus est Servator, alterum in monte, καταδιάλογος αἱρηθῆς κατέχει ἐν ἀντίστοι τὸς ἀντίστοιος μεν τὰς ἀπορρήτας τελετὰς τὸν τὸν ὄλον Σωτῆρα. Hic Christum Servatorem omnium, arcanis mysteriis discipulos suos in spelunca initiasse, verax fert historia. Non imperite quidem suspicatur VALESIUS Eusebium ἀπορρήτας τελετὰς sermonem Christi de interitu mundi Matth. XXIV. 1. recensitum, salutare, TILLEMONTIUS tamen mysteria inter Resurrectionem ac Ascensionem a Christo in monte tradita Eusebium innuere credit. Quæ, si dubio carent, Christus in monte discipulos docuit; an XL diebus novisque dogmatibus eos instruxerit? de eo quidem altum & in traditione veteri, & in Eusebio silentium est.

§. XXVIII.

Connumerentur vero Gesta Christi a FLAMINIO, WHISTONO aliisque congesta, certe ne his quidem collectis tempus Quadragesimale cum Apparitionum conciliabitur paucitate. Quare vinculis præiudiciorum liberati dicamus, Christum Apparitionibus saepius repetitis resurrectionis suæ veritatem, suamque Maiestatem multis demonstrasse miraculis Ioh. XX. 30. 31. sermonibus prolixioribus occupatum XXI. 25. saepius cum discipulis comedisse ac bibisse Act. I. 4. X. 41. (#) Oracula divina colloquiis iteratis uberiori exposuisse Luc. XXIV. 27. 44. Act. X. 41., cum vel solis Confessoribus e Galilæa post solennem manifestationem Hierosolymæ collectis vifus sit ἡμέρας πλειοτες per dies bene multos Act. XIII. 31. In reliquis ignorantiam modeste profiteri satius est, quam vanis indulgere coniecuris, ne in occultis sapientiae divinæ viis, arcanisque consiliis plus iusto sapiamus. Neque enim

QUADRAGESIMALIA.

49

enim sine causa Iohannes a nimia Gestorum Christi nos de-
terruit indagine Ioh. XX. 30. 31. XXI. 25. Hinc Chri-
stum in verbo veritatis revelatum , ea , qua fas est , scrute-
mur industria , & ne tanta indigni reddamur felicitate , ve-
stigia Servatoris , excussis carnis nostræ illecebris , vita in-
taminata , sublimibusque rerum coelestium meditationibus
immersi , exprimamus , velut singulis momentis e terre-
no , quod circumferimus migraturi tabernaculo , ut cum
emigrandum sit , bene nobis sit perpetuo !

(†) Prolixis exposita sunt eruditorum divortiis verba IGNATII
ad Smyrnæos §. III. fidem suam de vera CHRISTI carne Doc-
tarum opposentis novitati : Εγώ γαρ καὶ μετὰ τὴν αὐδάσων ἐν σαξ-
ηνὶ αὐτὸν ὥδα καὶ πιστῶ ὅντα , καὶ ὅτε πρὸς τὰς περὶ Πέτρον ἥλθεν ,
ἔφη αὐτοῖς λαζαρεῖς ψυχαώντας με καὶ ἰδεῖς . καὶ ἐνθὺς αὐτῷ ἤψη-
το καὶ ἐπίσευσαν . Μετὰ δὲ τὴν αὐδάσων συνέθαγεν αὐτοῖς καὶ συν-
έπιεν (addit Editio interpolata : ἔχεις ἡμεῖς ὅλων τεσσαράκοντα)
ως σαρκίς , καίπερ πενικαῖς πνωμένος τῷ Πατῷ . Non asse-
quuntur IGNATII mentem , qui cum P. DAN. HUETIO
Dem. Evang. Prop. I. s. II. & RICH. MONTACUTIO T. II.
Origg. Ecclef. p. 457. IGNATIUM gloriari singunt , quod
Christum à mortuis suscitatum suis confixerit oculis ; Neque
enim de visu , sed de fide sua aliorum testimoniiis roborata differens
ait : ἐγώ ἐν σαρκὶ αὐτὸν ὥδα ὅντα Novi eum in carne existere ,
seu , ut Codex Laurentianus & Anglicanus IO. PEARSONO in
Vindic. Ignat. L. II. c. X. notati legunt : Εγώ γαρ μετὰ τὴν αὐδά-
σων ἐν σαρκὶ αὐτὸν ΟΙΔΑ ΚΑΙ ΠΙΣΤΕΥΩ ὅντα , qui IO. DALLÆ-
UM ab Interpretate Latino deceptum esse , non male coniicit . Unde
procul ab iis recedunt IO. PEARSONUS & THOMAS
SMITH in Annot. ad Epist. Ignat. Oxon. 1709. ed. p. 13. & 63.
nec non IO. ALDRICHII in Ignat. Epist. ad Smyrnæos §. III.
Præterea vero quando IGNATIUS Christum post Resurrec-
tionem cum Discipulis bibisse memorat , Ignatianas Epistolas crassi
erroris ex hoc capite incusat IO. DALLÆUS , quod Christum
Quadragesimali illo tempore bibisse tradant , cuius præter Acta nul-
lum

G



lum in Evangelio suppetat exemplum. Certe si illud verum non est, quod ex Actis Apostolicis patet, licet ex Evangelio non constet, nec Apostoli cum Christo resuscitato manducarunt, quia in Evangelio Apostoli cum Christo resuscitato manducasse nullib[us] perhibentur. Et diserte tamen inquiunt Apostoli: Συνέφαγοντες διτῶ ΣΤΝΕΙΠΟΜΕΝ ΑΥΤΩ *Comedimus & BIBIMUS CUM ILLO* Act. X. 41. Umbras exceptionis habent illa DALLÆI: Apostoli cum Christo a mortuis suscitato manducarunt & biberunt, non autem Christus cum Apostolis, quod tamen vult IGNATIUS. Quasi vero Confessores Christi e Galilaea συνεβάπτιστες αὐτῶ adscendentes una cum Christo Act. XIII. 31. soli Hierosolymam se contulerint Christo in Galilaea relicto? aut συμφάγοντες αὐτῶ soli comederint, Christo excluso? Certe eodem modo Apostoli συνέπιον χριστῷ quo συνέφαγον αὐτῶ Christo autem manducante, manducarunt. Eo igitur bibente, biberunt, & quidem non inter se, sed ὡν αὐτῶ. Quis enim credat Christum pristinæ familiaritatis cum Apostolis post Resurrectionem documenta daturum, nudum epulorum fuisse aut Ephorum aut spectatorem? Hinc quoque merito HIERONYMI, AUGUSTINI & THEODORETI cum IGNATIO in verbis Lucae consensum IO. BAPT. COTELERIUS T. II PP. Apost. p. 36. & IO. PEARSONUS in Vindicis Epist. Ignati c. X. DAL. LÆO opposuerunt.

M. Θ. Δ.



01 A 6526

ULB Halle
002 935 83X

3



Sc

VD 17

R

Hi 51

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



30
M. ①.
CHRISTI
AGESIMALIA
INTER ET ASCENSIONEM
ANII, DODWELLI, HARDUINI,
QUE PARADOXIS
LIBERATA,
AMPLISSIMI DECRETO
RO LOCO
IN THEOLOGIA EXTRA-
ORDINARIÆ
ENTILATIONI EXPOSIT
PRÆSES
IACOBUS QVANDT
OL. D. ET P. P.
ESPONDENTE
EDO HENRICO GOLTZ
TORIO MAXIMO
CCXVI. DIE IX. IUNII
TE-ET POMERIDIANIS.
EGIOMONTI
S REUSNERIANIS.